



MANUALE PRECUM,

in usum

studiosae juventutis

conscriptum

a


MAGNO JOCHAM,

ad Frontes Rhaetiae parocho.

SOLISBACI,

Sumtibus J. E. de SEIDEL.

1840.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Carissimi adolescentes literarum studiosi!

Sciens quantopere gaudeant pueri, quamprimum latina quaedam vocabula didicerunt, libello precum latine scripto, et expertus eundem ipsis perutilem esse, hunc libellum vobis cari adolescentes, conscripsi. Sit semper in manibus vestris, ut exinde discatis conversari cum Deo vestro, quae conversatio summa beatitudo nostra est, dum adhuc peregrinamur procul a patria coelesti, ad quam sumus destinati.

Non invenietis hic sententias eleganter dictas neque stylum aures delectantem, quem servabant scriptores classici. Quod si hic quaeratis, frustra est labor. Sunt etiam libri sanctas doctrinas et orationes continentes, qui pulcherrimo scripti sunt stylo et periodis valde ornatis scatent; difficiliores autem sunt intellectu, quam ut et ii utantur iis,

qui linguam latinam non perfecte intelligunt. Iis ipsis autem, qui studia vix inceperunt, prospicere velim, quam ob causam quidquid difficilius intellectu est evitavi, et scriptionis genus facillimum servavi, eas preces et eos hymnos assumens, qui simplicitate magis quam qui elegantia excellunt.

Studium vestrum sit, ut de die in dies sapientiores evadatis; sed vera sapientia non in eo consistit, ut multa et varia discatis et sciatis; Deum scire et coram Deo versari et propter Deum officium quod incumbit praestare vera sapientia est. Litteris vacare operam vestrum est officium; quod si non propter Deum, reverentes ejus voluntatem feceritis, nihil vobis proderit laboravisse et sudasse in studiis, et nullam mercedem a Deo accipietis, quia non propter Deum nec pro eo soliciti fuistis.

Haec est vita aeterna, ut cognoscatis Deum, et quem misit Jesum Christum. Quare hic libellus de Deo tantum et ejus filio, Salvatore nostro agit et praesertim de his, quae idem ipse Salvator noster propter nos fecit et pertulit. Accendatur animus vester amore Jesu tenerrimo, tunc eum sequemini et ambulabitis sicut ipse ambulavit et

eum sequentes a peccatis mundi servabimini et ad divinam patriam quotidie proximiores accedetis.

Jesus Christus vobis est exemplar; quomodo ipse ambulavit et vos ambulare oportet in hujus vitae via. Hoc autem praestare non poteritis, nisi ipse vos adjuverit, quia sine eo nihil boni facere possumus. Ipse autem vos adjuvat, si ad eum oratis et petitiones et preces coram eo effunditis; promisit enim: „quidquid in nomine meo petieritis, dabo vobis." Et qui hoc promisit, Verus immo Veritas ipsa est. Hoc jam multi experti sunt, et vos quoque idem experiemini, cum volueritis.

Id unum ne unquam obliviscamini, vos ex vobis nihil esse, nihil posse, et omnem virtutem et scientiam ex Deo esse; hoc vos praeservabit ab omni superbia et elatione inani, et vos trahet ad orationem.

Nolim autem recitationem quarundam orationum seu hymnorum orationem esse putetis; vana haec est opinio et maxime noxia. Corde oramus, non ore, et si ore, multo magis corde. Corde sentimus, quid nobis desit, corde desideramus

auxilium, corde diligimus Dilectissimum, qui est amor noster. Et spiritus sanctus est, qui movet cor, ut desideret Deum et diligat et oret. Orationes, quas habemus scriptas, hos affectus in nobis quodammodo excitare possunt, quod ut fiat et his orationibus, Deum humillime precor.

Ad Frontes Rhaetiae Idibus Octobris 1839.

Magnus Jocham.

Index.

	pag.
Oratio Dominica. Pater noster,	1
Salutatio Angelica. Ave Maria.	2
Symbolum Apostolicum.	3
Symbolum Nicaenum.	4
Preces matutinae.	5
Alia Oratio juvenis literarum studiosi.	10
Piae preces quotidianae.	13
Preces pro Sacrificio Missae.	20
Modus pie audiendi Missam.	32
Hymnus S. S. Ambrosii et Augustini.	53
Ad Vesperas	
sex psalmi	55
tres hymni	66
Magnificat	69
Antiphonae B. M. V.	70
Orationes ante Confessionem.	74
Actus contritionis.	78
Post Confessionem.	79
Ante Communionem.	83
Post Communionem.	88
Preces pro opportunitate temporis, praesertim die Dominica et diebus festis adhibendae.	
Adoratio sanctissimae Trinitatis.	99
Adoratio Jesu Christi.	102

pag.

Oblatio vitae et passionis Jesu Christi. 106
Commendatio sui ipsius in quinque vulnera Christi. . . . 116
Septem Verba Christi in cruce. . . 121
Salutatio s. cordis Jesu. . . 124
Salutatio sanctissimi Sacramenti altaris. 128
Pange lingua 132
Oratio S. Bonaventurae coram Sanctissimo. 133
Lauda Sion 135
Preces ad spiritum sanctum. . . 138
Veni sancte spiritus . . . 139
Veni creator spiritus . . . 141
Alius hymnus in hon. spir, s. . 143
Devotiones B. M. V. 147
De septem gaudiis B. M. V. . . 151
De septem doloribus B. M. V. . 153
Stabat Mater 157
Orationes ad Sanctos. . . . 159
Hymnus in honorem omnium Sanctorum. 163
Supplicationes pro fidelibus defunctis. 166
Dies irae 168
Preces Vespertinae. 172
Devotae considerationes pro exercitio Viae Crucis. 181
Itinerarium. 211

Manuale precum,

in usum

studiosae juventutis.



Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in coelis! sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo! Amen.



Salutatio Angelica.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.



Symbolum Apostolicum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae: et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos; sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus est, judicare vivos et mortuos. Credo

in Spiritum sanctum: sanctam ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: et vitam aeternam. Amen.

Symbolum Nicaenum.

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium ejus unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: cujus regni non

erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi! Amen.

Preces matutinae.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Crucifixi surgo; ipse, qui me redemit, me custodiat, protegat, atque defendat ab omni malo hodie, semper, et in hora mortis meae.

Adoro te, o sanctissima trinitas, unus Deus. Adoro te, o Domine summae majestatis, creator coeli et terrae, et omnium visibilium atque invisibilium. Adoro te, altissime et benignissime Deus, perenne bonum meum. Tibi patri et filio et spiritui sancto sit laus et honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, propitius esto mihi, peccatori, et ab omnibus peccatis meis me emunda. Largire mihi spiritum bonum, gratiam et salutem. Gratias ago tibi pro requie, quam hac nocte mihi concessisti. Offero tibi somnum meum, quo me recreavisti, in laudem aeternam nominis tui, in unione illius amoris, quo tu, Deus meus, pro me factus es homo, et somnum corporalem cepisti in terris, ad honorem patris, et ad salutem totius generis humani.

Commendo tibi, o Jesu, hodie animam meam et corpus meum; serva me mundum ab omni peccato et dirige me in viam pacis; doce me semper facere voluntatem tuam. Utinam omnes cogitationes, verba et omnes actiones meae procedant ad laudem nominis tui et ad salutem animae meae. Glorificent te, salvator meus, pro gloria, quam tibi debeo, et quam persolvere nequeo, omnes spiritus beati et omnes sancti tui omni temporis momento, quia tu es glorificandus in saecula saeculorum.

Spiritus sancte, qui illuminas mentem, ut cognoscamus, quidquid animae prosit, et das intellectum, ut sciamus, quid nobis petendum sit a patre luminum, qui et ipse oras et Deo orationes offers in nobis; visita, quaeso, cor meum, et illumina mentem meam, ut, quae recta sunt, sapiam, auxilium ad facienda mandata Dei semper assidua, a te donata oratione, accipiam, peccatum omnemque peccati occasionem fugiam, coram oculis Dei ambulem et Domini mei, Jesu Christi, nunquam obliviscar.

Domine Jesu, quem scire vera sapientia, quem sequi vera sanctitas est, sis hodie et omnibus diebus vitae meae in corde meo, ut semper tui sim memor, sis semper coram oculis meis, ut te imiter, qui es sanctissimum mihi exemplar. Quidquid hodie discam seu faciam, sit ad majorem nominis tui gloriam, et ad emendationem animae meae.

(cum manus abluis.)

Da virtutem, Domine, manibus meis, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire. Amplius lava me, Domine, ab

iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Domine Jesu, qui lavisti nos a peccatis in sanguine tuo, lava omnes animae meae sordes, et super nivem dealbabor.

(in ortu solis.)

Etsi sol oriatur et huic terrae diem adferat, in anima mea tamen sempiterna nox manet, nisi tu, Jesu, qui es sol justitiae, ortus fueris in me et illustraveris splendoribus tuis mentem meam. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsae me deducent in sanctuarium tuum. Tu, qui regis omnia, qui cursum solis in coelo et vermiculi in terrae pulvere dirigis, dirige et voluntatem meam, ut semper tibi placeam. — O sol animae meae, Deus meus, quam amabilis est pulchritudo tua! Amo te, lumen aeternum, et ardentius te amare desidero.

(ante studium.)

Illumina, Domine, mentem meam, ut intelligam, quae mihi discenda sunt, et hilari animo in honorem nominis tui discam. Remove a me omnem superbiam, cum res bene mihi successerint, et homines mihi fa-

veant. Nunquam obliviscar, me ex meipso nihil scire, nihil posse, sed omnia a te esse donata, cui me semper gratias agere oportet.

Jesus, dulcedo cordium,
Fons veri, lumen mentium,
Excedit omne gaudium
Et omne desiderium.

Jesus sole lucidior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior
Et cunctis amabilior.

Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

O beatum incendium,
O ardens desiderium,
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium!

Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter.

Quam grata, quam vernantia,
Quam mellita, quam fulgida
Sunt Christi Jesu vulnera!
Hunc decet laus per saecula, Amen.

Ave Jesu, fili Dei vivi,
Fili virginis purissimae!
Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum!
Laus tibi Christe redemtor!
Laus tibi, Maria, mater Dei in aeternum,
Amen.

Alia oratio
juvenis literarum studiosi.

O Domine Jesu, quo disponente literas discere aggressus sum, da mihi gratiam, hoc meum negotium sic agendi, ut prae omnibus Tibi, et propter Te bonis hominibus, praesertim pracpositis meis, placeam, et sic quodammodo Tui similis efficiar, quem sacra scriptura praedicat, ut aetate, sic gratia apud Deum et homines crevisse.

Auxiliare igitur mihi gratia Tua, ut Te Tuumque exemplar semper prae oculis ha-

beam, in idomne toto animo, tota voluntate, omni diligentia incumbam, quod et ingenio excolendo, et moribus divinae legi conformandis inserviat, et quaecunque huic proposito obstant, qualia sunt pigritia, animi levitas et inconstantia, immodicum jucunditatum studium omni virium contentione, vincam; tempus, cuius quodvis momentum Tuum donum est, quod perditum non amplius recurrit, maximi aestimem, hancque aestimationem bono ejus usu comprobem, et quod ejus ad relaxandum animum datur, ita impendam, ut alacrior inde ad officia divina humanaque explenda redeam.

Praeveni et adjuva me continuo gratia Tua, sine qua nihil possum, ut Superioribus, Magistris, Praepositis ex animo obediam, quicquid mihi praecipiant, a Te praeceptum existimans; ut sim erga sodales comis, benevolus, ad quaevis obsequia, quae salva religione et recta conscientia praestare possum, promtus, placabilis, injuriarum obliviosus, aemulans diligentissimos quosque et optimos sine invidia, benignus omnibus, familiaris

paucis, nec nisi probatissimis, quibus testimonium exhibent bonum Superiores.

Da etiam, o bone Jesu, ut parentibus non verbis solum, sed re etiam honorem tribuam, et curam eis et sumtus, quae in me impendunt, bene me gerendo, rependam; *) itemque et dominis conducti, qui parentum loco mihi sunt, ad honesta hortantibus morem geram, eorumque benevolentiam quiete agendo, nec me immiscendo rebus, quae ad me non pertinent, mihi conciliem.

Suscipe etiam, Domine Jesu, benigne vota mea pro incolumitate et prosperitate Regis nostri (Ludovici), studiorum fautoris et protectoris gratiosissimi, et omnium, qui

*) Si studiosus pauper sit, sic oret: Da, o bone Jesu, ut parentes honorem, et quod ob penuriam rei familiaris in me conferre non possunt, quasi facerent, existimem; eisque, qui vice eorum inopiae meae quomodocunque subveniunt, bene me gerendo, et pietate atque diligentia eorum beneficentia dignum me reddendo, gratias referam.

ejus nomine civitatem gubernant; pro incolumitate Episcopi summe Reverendi, qui et ipse paterna et spirituali cura nos studiosos amplectitur: pro incolumitate magistrorum cunctorumque qui quocunque modo studiis studiosisque benevolunt: pro incolumitate denique totius regni, ut tranquillam et ab omni perturbatione securam vitam peragamus, eaque finita ad Te pervenire, Teque frui in coelo mereamur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Piae preces, quotidianae.

Domine, Deus meus, Jesu Christe, quid dicam?

Nimis ingratus atque infidelis tibi semper fui, vilissimus sum, pulvis et cinis sum, nihil sum. Miserere mei; poenitet me omnium iniquitatum, et negligentiarum mearum, quae innumerae et gravissimae sunt.

Utinam te nunquam offendissem, nunquam gratiam tuam in me impedivissem!

utinam tibi semper placuissem et tuis inspirationibus tuaeque voluntati in omnibus obedivissem! Propono per gratiam tuam, deinceps vitare, quicquid tibi displicet, paratus potius mori quam velle te offendere.

Pie Jesu, propitius mihi esto per merita sanctissimae humanitatis, passionis et mortis tuae, et per intercessionem Beatissimae genitricis tuae omniumque electorum tuorum. Ablue me pretioso sanguine tuo, et plene emunda perfecteque sana ac sanctifica.

Adoro, laudo et glorifico te, benedico et gratias ago tibi, Domine Jesu, pro universis miserationibus et beneficiis tuis. Gratias tibi ago, o fili Dei vivi, Deus altissime, qui propter nimiam caritatem, qua dilexisti me, dignatus es, homo fieri. Voluisti pro me in stabulo nasci, panniculis involvi, in praesepio reclinari, paupertatem et egestatem tolerare, multiplicibus laboribus et aerumnis triginta tribus annis fatigari. Voluisti sudore sanguineo prae angustiis suffundi, ignominiose comprehendi, indigne ligari, injuste damnari, sputis foedari, colaphis et ala-

pis caedi, veste alba ridiculaque velut amens indui et illudi. Voluisti flagris crudelissime conscindi, spinis dire coronari, clavis atrociter cruci affigi, felle et aceto inhumaniter potari.

Tu praeclarus vestitor siderum, nudus, contemtus, vulneratus, et immensis doloribus afflictus, pro me pependisti in cruce, pro me fudisti purissimum sanguinem tuum, pro me mortuus es.

Dulcis Jesu, unica salus mea, praesta ut ferventissimo amore te diligam, ac medullitus tibi compatiar. Amplector brachiis animae meae venerandam crucem tuam, et eam pro tui honore atque amore osculor. Saluto rosea ac suaviflua vulnera tua, quae suscepisti pro me, et in quibus descripsisti me. Salvete salutiferae plagae Domini mei, qui dilexit me usque ad mortem.

Omni iniquitati et vanitati, omni delectationi et inordinationi, omni propriae voluntati pro tui amore renuntio. Omnia quae infra te sunt relinquo, teque prae omnibus eligo. Resigno me tibi integre. Opto pre-

corque ut gratissima voluntas tua in me et de me fiat in aeternum.

Offero me tibi paratum ad tolerandam per gratiam tuam pro gloria nominis tui quamlibet ignominiam, quemlibet mei contemtum, quodlibet opprobrium, quamlibet tribulationem et quemlibet dolorem. Non recuso vivere, si ita velis, in eadem paupertate atque afflictione, in qua tu vixisti.

Suavissime Jesu, remove a me, quidquid tibi in me displicet. Exorna me meritis et virtutibus tuis. Da mihi veram humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam et caritatem. Da, quaeso, perfectam linguae et oculorum continentiam, sinceram conscientiae puritatem, libertatem internam et pacem coelestem, quam dedisti dilectissimis discipulis tuis.

Conforma spiritum meum spiritui tuo, animam meam sanctae animae tuae, et corpus meum incontaminato corpori tuo. Luce divinitatis tuae illustra intima mea. Credo, te semper esse mecum; digneris igitur me regere, ut semper faciam, quod tibi placet. Absolve me ab omnibus, quae me

impediunt, quominus tibi perfecte uniri possim.

Per sacrosancta vulnera tua, per mortem et passionem tuam fac, ut te clare cognoscam, te ardenter diligam, tibique perfecte uniar ad laudem nominis tui. Exaudi me Domine, non pro mea voluntate, sed pro tuo beneplacito; exaudi me, sicut tuo honori, meaeque saluti congruere nosti.

O Maria, mater Dei dulcissima, o regina coeli gloriosissima, intercede pro me, ut ad verum Jesu Christi, filii tui, amorem valeam pervenire, et sim homo secundum cor ejus. O vos omnes Sancti Sanctaeque Dei et beati spiritus, subvenite mihi. Orate pro me, o immarcessibiles flores patriae coelestis, ut per vos summo regi placeam, de cujus suavissima contemplatione semper jucundamini.

Misericordissime Jesu, miserere ecclesiae tuae, miserere omnium, pro quibus sacrosanctum sanguinem tuum fudisti. Converte miseros peccatores. Revoca haereticos et quicunque separati ab ecclesia tua vivunt. Illumina infideles, te ignorantes. Adesto

omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt. Adesto his, qui se precibus meis commendaverunt, vel commendati esse cupiunt. Adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis. Redde omnes tibi placentes. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Pro his omnibus tibi offero pretiosum sanguinem tuum; offero tibi, quidquid pro nostra salute facere et pati voluisti; offero tibi merita totius humanitatis tuae.

O altissima, clementissima et benignissima trinitas, pater et filius et spiritus sanctus, unus Deus, doce, dirige et adjuva me sperantem in te. Per infinitam potentiam tuam rogo te, pater, stabili memoriam meam in te, eamque sanctis et divinis reple cogitationibus. Per aeternam sapientiam tuam rogo te, fili, clarifica intellectum meum, eumque agnitione summae veritatis meaeque vilitatis exorna. Spiritus sanctus, qui es amor patris et filii, per incomprehensibilem bonitatem tuam rogo te, transfer in te voluntatem meam, eamque inextinguibili caritatis ar-

dore succende. Utinam te, o adoranda trinitas, utinam tam perfecte diligere ac laudare possem, quam perfecte te diligunt et laudant sancti angeli et omnes electi in patria coelesti. Sed quia te digne laudare non sufficio, tu teipsum digneris perfectissime laudare in me. Si haberem amorem omnium creaturarum, libenter illum in te solum converterem.

Deus meus et omnia. O summa sufficientia mea! quid volo praeter te? Tu es unicum et incommutabile bonum meum. Te solum quaerere debeo; te solum quaero et concupisco. Trahe me post te. Attende propitius desolatam egestatem, ignorantiam et caecitatem meam. Aperi mihi, pulsanti orphano portam misericordiae tuae paternae, et ero dives et abundans omnibus bonis spiritualibus, et quaecunque mihi necessaria sunt ad vitam hanc temporalem sustentandam, mihi parata erunt nec ullius rei indigebo. Exaudi me Domine, quia clamavi ad te, et non confundar in aeternum. Amen.



Preces pro Sacrificio Missae.

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam, ut huic Sacrificio omni qua possum reverentia et devotione intersim, illudque unâ cum sacerdote divinae majestati tuae gratiose offeram,

1. ad majorem nominis tui honorem et gloriam, cui soli hoc sacrificium debetur.
2. In memoriam passionis et mortis tuae;
3. In gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis.

4. In satisfactionem omnium mearum culparum ac poenarum.
5. Ad impetrandam gratiam tuam et opem in omni necessitate mea.
6. Pro carissimis parentibus, amicis et benefactoribus meis . . . pro fidelibus defunctis. . . .

Placeat tibi, Domine, haec intentio mea, et exaudi me.

Introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus, fortitudo mea, quare me repulisti et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

Gloria patri et filio et Spiritui sancto: sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

Introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit coelum et terram.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi pater, quia peccavi nimis, cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus, et dimissis peccatis nostris perducat nos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissi-

onem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Deus tu conversus (ad nos), vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Benedicta sit sancta Trinitas et indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Gloria Patri, qui creavit nos.
Gloria Filio, qui redemit nos.
Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos.
Gloria summae et individuae Trinitati,
Deo nostro in saecula saeculorum, Amen.

Kyrie eleison! Christe eleison! Kyrie eleison!

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite. Domine Deus, agnus Dei, filius

Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto spiritu in Gloria Dei Patris, Amen.

Oratio.

Exaudi, Deus, preces Ecclesiae tuae Sanctae, tibi in nomine dilectissimi filii tui, Domini nostri Jesu Christi humiliter supplicantis, ut tuam nobis dexteram porrigas, quae omnia mala avertat, et in tua nos gratia confirmet. Amen.

Ad Epistolam et Evangelium.

Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris tui laetum mundo Evangelium annuntiasti; da gratiam, ut illud intellectu percipiam, voluntate amplectar, memoriâ conservem, opere compleam: et gregi electarum ovium tuarum, quae vocem tuam audiunt, ita hîc associer, ut eidem in novissimo die ad dexteram tuam conjunctus audire merear: Venite benedicti!

Ad Credo.

Credo in unum Deum (ut supra p. 4.)

Ad Offertorium.

O Pater aeterne, qui sanctissimum hoc novae legis sacrificium, quo unigenitus Filius tuus tibi offeretur, institui voluisti: hunc et ego divinae Majestati tuae, meque in ejusdem unione offero cum omnibus, quae a tua bonitate mihi sunt concessa; respice in me et miserere mei! Amen.

Orate Fratres! Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque ecclesiae suae sanctae.

Ad Praefationem.

Sursum Corda! Habemus ad Dominum: Gratias agamus Domino Deo nostro: dignum et justum est. Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum, per quem Majes-

tatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloriâ tuâ, Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!

Ad Memento pro vivis.

Memento quaesumus Domine, per passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, imprimis ecclesiae tuae sanctae, eamque tanquam sponsam ejusdem filii tui protege, sanctifica et exalta. Praesides ac ministros ipsius Spiritu Sancto reple, ut omnes illorum doctrina et exemplo proficiant ad majorem nominis tui gloriam. Memento etiam, Domine, Parentum meorum, fratrum, sororum, et amicorum ... omniumque, pro quibus orare teneor, et tu me vis orare! Da his omnibus uberem in praesenti vita gratiam et gloriam in futura.

Ad elevationem.

Adoro te devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Teque illi semper dulce sapere.

Pie Pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum potest omni scelere!

Post elevationem.

Domine Jesu Christe, vere tu es Deus absconditus, quem sub panis et vini speciebus modo adoravi. Ne sinas, obsecro, ut pretiosus ille sanguis tuus pro me frustra olim in ara crucis sit effusus; sed fac, ut per passionem et mortem tuam in numerum electorum tuorum admitti, et te revelatâ facie in aeternum aspicere et amplecti merear. Amen.

Ad Memento pro defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis ... Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis Sanctis, intra quorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Pater noster etc. Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beatâ et gloriosâ semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, et omnibus Sanctis: da propitius pacem in diebus nostris; ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato semper simus liberi et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Je-

sum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc.

Pax Domini sit semper nobiscum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. ter.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper adhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum, Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis etc.

Ad Communionem.

Dic ter cum sacerdote: Domine non

sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Hic cogita, te communicare cum sacerdote et dic: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen.

Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, et futurae gloriae nobis pignus datur!

Post Communionem.

Gratias ago tibi, Domine Jesu, quod me hujus sanctissimi sacrificii participem fecisti, quo amarissimae passionis ac mortis tuae memoriam innovavi. Fac, oro, ut ejusdem mysterii virtute et operatione in fide, spe et caritate perseverem, vitamque aeternam consequar, Amen.

Placeat tibi, sancta Trinitas obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae Majestatis (cum sacerdote)

indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum.

Benedicat nos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus Amen.

Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat et vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est; et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui

eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est: et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. Amen.

Modus pie audiendi Missam

per

meditationem passionis Domini nostri

Jesu Christi.

Sacrificium Missae viva ac vera repraesentatio illius sacrificii cruenti est, quod Christus in ara Crucis, sui corporis et sanguinis immolatione, patri aeterno immolavit. Optimus ergo modus Missam audiendi est, passionem et

mortem Christi, hoc opus redemtionis nostrae, pio mentis affectu recolere.

Praeparatio ad Missam.

O pater aeterne, qui sic dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares pro redemtione nostra; quid pro tanto munere et amore retribuam tibi? Ecce ipsum filium tuum, quo nihil tibi carius, nihil est pretiosius, tibi offero.

O quot suspiriis, quam ardentibus votis desideratus fuit hic salvator gentium? Tandem misisti eum in mundum, et ipse formam servi accepit, et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, nosque ab aeterna morte redemit.

Hoc opus tam immensae et tantae caritatis in hoc Missae sacrificio in tuam gloriam et in filii tui memoriam recolere cupio. Tu, Domine, rege cor meum gratia tua, ut pie, religiose ac decenter id faciam, ut hoc obsequium meum tibi placeat et animae meae prosit.

Jesu Christe, qui vi immensi amoris tui erga me ductus tam dira pro me passus es;

quid retribuam tibi pro his beneficiis, quorum magnam partem ne comprehendere quidem valeo? —

Doleo ex intimo corde meo, quod unquam offenderim te, qui tantopere dilexisti me.

Credo in te viva fide, o aeterna veritas; tu ipse Deus es et homo es, Dominus et salvator meus!

Spero in te Domine, o unica spes et vera salus animae meae.

Amo te quoque super omnia, ex toto corde meo, o summum bonum meum; utinam vis amoris tui ardentissima ita me conjungat tecum, ut nihil unquam me separare possit a caritate tua!

Ad initium Missae.

Meis et totius mundi peccatis oneratus tu rex coeli et terrae cum discipulis tuis ad montem Oliveti progressus es; ibi procidens in faciem tuam oravisti, ut, si fieri posset, transiret a te calix iste. Ob passionis et mortis

imminentis angorem ac multo magis ob peccatorum nostrorum horrorem sanguinem fudisti, et sudore sanguineo suffusus pro nobis ad patrem oravisti. Infinitas tibi pro hac acerbissima tua passione gratias ago, humillime te deprecans, ut mihi, in omni adversitate et anxietate et in omni pressura et dejectione sis consolator, adjutor et protector. Utinam in omni rerum eventu tibi prorsus fidam, me totum tuae ordinationi submittam, me totum tuae voluntati offeram meque totum in te projiciam.

Ad osculum altaris.

Tu, mi Jesu, qui es agnus Dei, benedictum os tuum impio traditori osculandum porrexisti, et osculo te inimicis tuis tradi non recusavisti. Custodi me ab illa impietate, quae pro vana creatura te, Dominum coeli et terrae, tradit, et peccando te iterum prodit. Tu ita me dilexisti, ut teipsum inimicis traderes, ne ego in potestate inimici infernalis manerem. Quid retribuam tibi pro tanta caritate? —

Ad Kyrie eleison.

Petrus, qui tam speciose promiserat, se tecum in mortem iturum esse, eadem nocte ter te negavit, sed resipuit, quum tu, qui es Deus misericordiarum, eum respiceres. Hic speculum humanae fragilitatis habeo. Tam promti sumus ad cadendum, sed non resurgimus, nisi Dei misericordia nobis succurrat. Semper ergo mihi clamandum est ex intimo cordis mei: Miserere mei Domine! Miserere mei Christe! Miserere mei Domine! — Quam inconstans et lubricus fui in bonis propositis! Quoties et ego, immemor propositi mei cum Petro negavi Te, Domine! At quam raro lacrimis verae poenitentiae deflevi peccata mea! Hoc ut possim, da mihi gratiam; deflebo, si me adjuveris, peccata mea, et perseverabo in bono, et cantabo tibi cum Angelis tuis canticum novum:

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam glo-

riam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite Jesu Christe, Domine Deus, agnus Dei filius patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis! Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto spiritu, in gloria Dei patris, Amen.

Ad Collectam et Epistolam.

Domine Jesu, ut agnus mansuetus ignominiose colligatus ad Pontifices Annam et Caipham ductus, ibi a falsis testibus accusatus, reus mortis declaratus et damnatus es, ut me a mortis aeternae obligatione absolutum, verae libertati et vitae aeternae restitueres. Effice me paratissimum ad omne opprobrium, omnemque contemtum pro tuo nomine sustinendum. Dona, ut recogitans contumeliam Domini et magistri mei, inter ipsas irrisiones et contumelias tibi corde in-

tegro gratias agam, atque ex illis in tui amore proficiam et crescam.

Ad Evangelium.

Tu, rex regum, et dominus dominantium a Caipha pontifice ligatus ad Pilatum duceris; examinari ab impiis de doctrina tua coelesti et de discipulis tuis non recusas; accusaris ob praedicatum per totam Judaeam et Galilaeam Evangelium, ideoque multis injuriis et contumeliis afficeris.

O Jesu, aeterna sapientia, qui de coelo venisti magister noster, ut viam Dei in veritate doceres, et nos a terris in coelum duceres. Prius autem quam docere inciperes, ipse fecisti et adimplevisti, quae docturus a patre missus eras. Et tamen contumeliam pateris. Mera veritas erat in verbis tuis, sanctissima probitas in factis tuis, in omni conversatione perfecta sinceritas; quia nemo de peccato te arguere poterat. Et nihilominus tu Dominus, magister et judex omnium, ab impiis et iniquis judicari et reprobari sustines! Quae admiranda mansuetudo!

Utinam ego corde bono et fertili suscipiam semen verbi tui, sancti Evangelii, et fructum multum adferam in patientia!

Ad Credo.

Credo in unum Deum etc.

Ad Offertorium.

Cogita, o anima mea, quomodo Christus a Pilato ad Herodem, ab hoc rursus ad illum mittitur, ubique illuditur, contemnitur et reprobatur. Jesu, dulcedo cordis mei, speciosissimus prae filiis hominum, in quem desiderant angeli prospicere, in quo aeternus pater sibi semper complacuit: tu ab Herode totoque ejus exercitu sperni et veste alba ut amens indui subsannarique non dedignatus es! Da, Domine, ut potius eligam tecum abjectus esse, quam cum mundo ejusque amatoribus gloriosus! Fac ut dignius ac melius existimem opprobrium sustinere pro tui amore, quam florere vano saeculi honore! Da, ut propriam iniquitatem et indignitatem prorsus agnoscam, mihi ipsi displiceam, me ipsum arguam ac defleam!

Quidquid enim boni in me est, a te accepi, et quare recusem pro multis peccatis meis ignominiam, quam valde meritus sum, pati? Quidquid boni in me est, offero tibi Domine ut sacrificium acceptabile; est enim a te, qui es fons omnium bonorum. Quidquid mali in me est, dejicio ac demergo in sanctissima vulnera tua, et sanguis tuus, pro me effusus, mundabit me ab omni macula et injustitia.

Ad lotionem manuum.

Tu, Domine, a Pilato judice innocens coram populo declaratus es, qui manus lavans confessus est: innocens ego sum a sanguine justi hujus! Sed plebs excitata ab impiis sacerdotibus te reum esse mortis clamavit teque Barraba pejorem aestimavit. Vindictam de coelo provocans insana plebs vociferata est: Sanguis ejus super nos et super filios nostros! Homicida dimittitur, et tu, autor vitae, per quem creata sunt omnia, ab invidis Judaeis ad mortem postularis. Tu es lapis ille ab hominibus quidem reprobatus, a Deo autem electus.

Quoties res perituras jam praetuli tibi, creatori omnium, qui ab aeterno es et in aeternum regnabis super omnia. Fac me, Domine, perseverantem in bono et effice, ut in te vivo lapide superstruar et in te salutem inveniam!

Ad Praefationem.

Ave dulcis Jesu, qui consputus, plagis deformatus, vinctus, totusque miserabilis, insanae plebi conspiciendus foras productus es a Pilato, ut misericordia moti insani isti postulatis suis decederent teque innocentem agnoscerent. Quantus fuit animae tuae dolor et cruciatus, cum ingens illud odium et extremam Judaeorum rabiem cerneres, qui impio clamore vociferabant: Crucifige! crucifige!

Nonne hic idem ille populus est, qui paucis diebus ante, quum urbem ingredereris, applausit tibi, canendo: Hosanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini! Nonne tu idem ipse es, cui canunt Angeli: Sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabbaoth! — Et hi pessimi tibi, quem ve-

nerantur Angeli, cui tremunt potestates, adclamant: Crucifigatur, crucifigatur!

Jesu, redemtor meus, praeserva me ab illa insania, quae, te rege dulcissimo rejecto, se principi tenebrarum, tyranno illi animarum, tradit, eique obsequitur. Discam hic, quam stultum sit, favoribus humanis inniti et confidere in filiis hominum, in quibus non est salus. — Tu, Domine, es salus mea, tibi adhaerere mihi bonum est! Tibi adhaerebo in aeternum, quia tu, Deus, es spes mea et salus animae meae!

Ad Canonem.

Ave dulcis Jesu, laus, honor et gloria sit tibi, Christe, qui in praetorio nudatus et ad columnam ligatus durissimis flagris flagellari passus es, ut livore tuo sanares vulnera nostra. Nequissimi coronam, spinis contextam divino vertici tuo imposuerunt, tibi arundinem pro sceptro dederunt, et genu flexo nugatorie te adoraverunt. Haec omnia passus es, ut nobis, qui perditi et filii irae eramus, beatam immortalitatem et

aeternae gloriae coronam comparares. Tantus erat amor tuus erga nos! Flagella iracundiae nos merueramus, et tu innocens pro nobis flagellaris. Aeterna damnatio et ignominia nos manebant, et tu ignominia impletus damnaris! Vere dolores nostros tu tulisti, Domine, et languores nostros, tu portasti.

Praesta, mitissime redemtor, ut ego nunc flagella paternae correptionis tuae tam patienter feram, ut post hujus vitae terminum merear tecum gaudere, a te coronari, teque in aeternum laudare et glorificare.

Ad Elevationem.

Christus elevatur in crucem, et coram omni populo conspicuus et nudus exponitur.

O Christe Jesu, adoro te, qui exaltatus es a terra, ut omnia trahas ad teipsum Video te enim, extensis in cruce brachiis, quasi nos amplectentem et clamantem: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego recipiam et reficiam vos!

Domine Jesu, trahe me ad te funiculis caritatis tuae, quam moriens in cruce monstravisti! Scire et quaerere Jesum, eumque crucifixum, sit mihi summa et sola voluptas. Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

O Pater aeterne, ecce hic est filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuit; respice in faciem Christi tui, et averte faciem tuam a peccatis meis, propter quae Unigenitus tuus humiliavit semetipsum, tibi factus obediens usque ad mortem crucis! Ecce, hic est advocatus noster apud te, et propitiatio pro peccatis nostris! Ipse enim peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, et livore ejus sanati sumus.

Ex intimo dolore percutio cor meum tantis peccatis obnoxium, clamans: propitius esto mihi peccatori! Peccata mea ad tanta supplicia traxerunt Unigenitum tuum. Per hunc ergo propitius esto mihi peccatori!

Ecce vox sanguinis filii tui clamat ad te de terra, non vindictam sed veniam! Passio et mors ejus sint mihi, precor, in

remedium et remissionem peccatorum meorum. Poenae et vulnera corporis ejus medela fiant animae meae!

Ad Pater noster.

(septem Verba Christi in cruce pronuntiata.)

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum! Da mihi, Domine, ut te patrem omnium colam, amem, timeam, et proximum meum propter te, vera et sincera dilectione complectar; sicut tu docuisti nos exemplo tuo, pendens in cruce, et pro inimicis moriens et orans: *Pater ignosce illis!* O mirus, ineffabilis amor! Utinam eum imitemur, qui Christi nomen profitemur! — Nemo sane magis honorat nomen tuum, o Christe, nemo certius se discipulum tuum i. e. Christianum probat, quam qui exemplo tuo et amore tui etiam inimicos diligere didicit!

Adveniat regnum tuum! illud regnum, quod latroni in cruce promisisti, dicens: *hodie mecum eris in paradiso!* Utinam vocem illam suavissimam audire merear in hora mortis meae. Da

mihi, Domine, fidem, spem et poenitentiam latronis, et non amplius timebit cor meum!

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra! Vis nempe, o Jesu, etiam carissimos tuos consortes esse crucis tuae; immo vis, hoc signum esse et indicium amoris tui! Hoc in dulcissima matre tua, et in discipulo, quem diligebas, agnoscere licet. Testes erant et spectatores crucifixionis tuae, idque maximo suiipsorum cordis cruciatu. Tua voluntas erat, ut hic doloris gladius animum matris tuae dilectissimae et discipuli perfoderet; sed et hoc voluisti, ut solatium afflictis non deesset. Unde dicebas: *Mater, ecce filius tuus!* et ad discipulum: *Ecce mater tua!* Unicuique verba ista solatio erant. — Et ego tuus sum, Domine; si me socium passionis tuae esse vis, ecce, paratum est cor meum! Si me participem esse vis divinae tuae consolationis, ecce, paratum est cor meum. Fiat in me voluntas tua. Placere tibi in omnibus cupio, et parere in omnibus; sed adde gratiam. Pati tecum non recuso, sed auge patientiam.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie! Si enim tu, Domine, non reficias me, utique cito deficiam! Domine, qui pascis me a juventute mea, usque in senectutem et, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me! Memento, quia mea causa clamavisti ad Patrem, quasi derelictus in angustiis: *Deus meus, ut quid dereliquisti me!* In te sperant oculi omnium, et tu das illis escam et robur in tempore opportuno. Si tu me despicis, quis me respiciet? Si tu me deseris, quis me recipiet? Si tu me repellis, quis me reficiet?

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris! Quia ideo tam copiose profudisti sanguinem tuum, ut copiosa nobis esset redemtio, et ut tam magno pretio exsolveres debita nostra, quae nemo solvere poterat nisi tu. O amor, o desiderium salutis nostrae! Unde languens amore, totusque jam exsanguis et arens in cruce clamas: *sitio!* Sed quid sitivisti, nisi calicem passionis et mortis, ut eo funditus

exhausto, plene dilueres debita seu delicta nostra?

Et ne nos inducas in tentationem; sed ut pastor bonus duc et rege nos velut oves pascuae tuae, et ut mediator noster commenda nos aeterno patri tuo servandos, cui tu moriens teipsum commendavisti dicens: *pater in manus tuas commendo spiritum meum!* Ne sinas, Domine, nos perire, qui venisti, quaerere et salvum facere quod perierat.

Sed libera nos a malo! Quorsum enim tot labores, sudores et dolores totius vitae tuae? Quorsum totum redemtionis opus, quod a te in cruce *consummatum* esse dixisti, nisi ut nos liberemur ab omni malo, et gaudeamus in te uno vero et summo bono? O utinam mihi detur illo frui! Amen, fiat, o Christe Jesu; fiat, o salus et vita, et pars mea Deus in aeternum!

Ad divisionem hostiae et agnus Dei.

Cogita, o anima mea, separationem animae Christi a corpore, i. e. mortem, quam ille velut agnus innocens ad occisionem ductus

ductus pertulit, ut tolleret peccata mundi! Item recogita descensum ejus ad inferos.

Domine, auctor vitae, cui omnia vivunt, in quo nos omnes movemur et sumus, tu moreris, ut ego, mortis reus vivam! Quis mihi tribuet, ut mundo et carni moriar, et tibi soli vivam! Fac quaeso, ut liberatus de profundo inferni, tecum exultem in gloria! Fac me videre bona tua, Domine, in terra viventium!

Ad Communionem.

Dum sacerdos sacra mysteria sumit, cogita, corpus Christi imponi sepulchro, et tu quoque eum repone in pectore tuo, et ad hoc communionem spiritualem institue, quae vivis actibus fidei, spei et caritatis potissimum constat.

Adoro te, Domine Jesu, viva et vera fide, in hoc Sacramento vere praesentem! Spero in te, o fons omnis bonitatis et misericordiae; non enim sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, tu qui solo nutu potes omnia, et sanabitur anima mea!

Amo te, Domine, qui prius amasti me; amo te ex toto corde meo super me et omnia, et ideo te saltem spiritualiter sumere cupio! Da, quaeso, ut manducem te et muter in te, et unus spiritus tecum efficiar, ut nihil me separare possit a te, sed in aeternum adhaeream tibi.

Fac, o Domine, per haec mysteria, per tanta caritatis tuae munera, ut sacrum corpus tuum aromatibus et bono odore virtutum condiam, et sindone purae conscientiae involvam et in cor novum mundumque reponam. Utinam tu semper in me maneas et ego in te requiescam in aeternum!

Ad Postcommunionem.

Ave dulcis Jesu, qui victor e clauso sigillatoque sepulchro prodiens nobili triumpho resurrexisti a mortuis, et claritate serenissimi vultus tui reddita, amicos tuos novo perfudisti gaudio. Da, Domine, ut ego, a vitiis veteris conversationis resurgens, in novitate vitae ambulem, et quae sursum sunt quaeram, quae sursum sunt sapiam, non quae super terram; ut, cum tu

apparueris vita mea, ego quoque tecum appaream in gloria. Mortuus enim es propter delicta nostra et resurrexisti propter justificationem nostram. O Domine, quanta fecisti pro salute mea! quid retribuam tibi pro omnibus, quae fecisti animae meae?

Ad Ite Missa est.

Honor et gloria sit tibi, Christe Jesu, qui expleto a resurrectione quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in coelum; ubi sedes ad dexteram patris benedictus in saecula. Utinam anima mea tui amore semper langueat, mundana omnia fastidiat, aeterna attendat, ad te anhelet, te esuriat et sitiat! Utinam nihil me amplius afficiat, nihil exhilaret praeter te, Domine Deus meus!

O gloriosissime Jesu, egone mente defixus in terris haeream, qui te patrem meum in coelis esse cognosco? Tu me tecum duc in altum, ut quae sursum sunt quaeram et sapiam, non quae super terram. Da, ut conversatio mea sit in coelis!

O Christe Jesu, qui in coelo tanquam in throno majestatis tuae resides, et tamen in altari praesens esse, et per manus sacerdotis offerri dignatus es, laudo, adoro et amo te ex toto corde, et non dimittam te, nisi benedixeris mihi!

Esto mediator noster, ubi es ad dexteram Dei sedens; et patrem indesinenter interpella pro nobis. Ostende ei sanguinem et vulnera, et omnia merita tua. Non repelles me, quum tot caritatis tuae mihi pignora dedisti. O Domine, quanta fecisti et qualia passus es pro me, ex vi immensi amoris tui erga me! Sed quid ego retribui, aut quid retribuam?

Doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te, qui tantopere dilexisti me.

Credo in te viva fide, o aeterna veritas, quia tu ipse es Deus et homo, Dominus et Salvator meus!

Spero in te Domine, o unica spes et vera salus animae meae!

Amo te quoque super omnia ex toto corde meo, o summum bonum meum; utinam absorbeat me ardentissima vis amoris

tui, ut nihil unquam separet me a caritate Christi Jesu Salvatoris mei! Tuus sum in aeternum, Amen.

Hymnus S. S. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur!

Te aeternum patrem omnis terra veneratur!

Tibi omnes angeli, tibi coeli et universae potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth;

Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia,

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum filium,

Sanctum quoque paraclitum spiritum.

Tu rex gloriae Christe,

Tu patris sempiternus es filius,

Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac popululum tuum Domine, et benedic hereditati tuae.

Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te,

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto, sine peccato nos custodire!

Miserere nostri, Domine, miserere nostri!

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te!

In te, Dominé speravi, non confundar in aeternum!

Oremus, omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem; quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis, per Christum, Dominum nostrum! Amen.

Ad Vesperas.

(sex psalmi mirae suavitatis et virtutis.)

Ut semper in promptu haberes breve aliquod exercitium psalmodiae sacrae, complures versus, qui cor pium ad laudem amoremque Dei dulcius allicere videbantur, decerpti fuerunt hinc inde ex Psalterio Davidico, atque in hos sex psalmos digesti. Quos si syncera, humili attentaque mente legeris aut

meditatus fueris, spiritualem lucem, consolationem et copiosum fructum in illis invenies. Nam Psalmodia, carmen coeleste est, cor purificans et exhilarans, atque in animam adducens quidquid necessarium est ad placendum Deo. Lege ergo hos psalmos, quotiescunque otium tibi fuerit, et canta Deo in corde tuo.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina! Gloria patri et filio et spiritui sancto; sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum! Amen.

I.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam,

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Miserere mei Domine, quia ad te clamavi tota die.

Laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multae misericordiae invocantibus te.

Intende voci orationis meae, rex meus et Deus meus.

Illumina faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.

Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.

Gloria patri et filio, et spiritui sancto,

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum! Amen.

II.

Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus.

Deus meus, adjutor meus, sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meae et susceptor meus.

Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime!

Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in saeculum et in saeculum saeculi!

Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.

Suavis Dominus universis, miserationes ejus super omnia opera ejus.

Regnabit Dominus in saecula, Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.

Gloria patri et filio et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum Amen.

III.

Benedic anima mea Domino, Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer!

Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

Confitebor tibi Domine, Deus meus, in toto corde meo; et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meae.

Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te.

Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

Quid mihi est in coelo? — et praeter te quid volui super terram?

Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desidérat anima mea ad te, Deus.

Tibi locutum est cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram!

Mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Exultent et laetentur super te omnes quaerentes te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum, et replebitur majestate ejus omnis terra fiat, fiat.

Gloria patri et filio et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

IV.

Omnes gentes jubilate Deo, jubilate Deo in voce exultationis.

Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite.

Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.

Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo.

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.

Praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei,

Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Laetabor et exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus.

Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generatione.

Omnis terra adoret te et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti.

Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in saeculum et in saeculum saeculi.

Gloria patri et filio, et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum Amen.

V.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo quamdiu fuero.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me!

Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus ad infernum!

Jubilate Deo omnis terra; servite Domino in laetitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus;

In aeternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo?

Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

Bonum est confidere in Domino magis, quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino magis, quam sperare in principibus.

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.

Credo videre bona Domini in terra viventium.

Gloria patri et filio, et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum Amen.

VI.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei!

Unum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te!

Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te!

Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.

Satiabor quum apparuerit gloria tua, et laudabo nomen tuum in aeternum.

Melior est dies una in atriis tuis, super millia.

Repleti sumus mane misericordia tua, et exultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria patri et filio et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum, Amen.

O Deus! ego amo te:
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce.

Tulisti clavos lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem, et haec propter me,
Ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,

Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia rex meus es,
Et solum quia Deus es.

O Deus! ego amo te
Nam prior tu amasti me.
 En libertate privo me,
 Ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria:
 Nil intellectus sapiat,
 Praeterquam ut te capiat.

Protestor nihil velle me,
Nisi quod sciam velle te:
 Quae dono tuo mea sunt,
 Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe;
Quid iis velis, praecipe:
 Guberna sicut scis et vis;
 Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te,

Et vigil et per somnia:
Haec dando dabis omnia.

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.

Ut odiam me et amem te:
Quidquid agam, sit propter te.
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me et vivam in te:
Quaecunque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te:
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te:
Dignus sim defendi a te.
Timeam mihi, timeam te:
Simque de electis a te.
Diffidam mihi, fidam in te:
Obedire velim propter te.
In nullo inveniar, nisi in te:
Aspice me ut diligam te.
Voca me, ut videam te:
Et in acternum potiar te. Amen.

Magnificat anima mea Dominum;

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus!

Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis; et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae:

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria patri et filio, et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula sacculorum Amen.

Deus in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris; et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae, ut in exequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum; multiplica super nos misericordiam tuam; ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Alma redemtoris mater
quae pervia coeli
Porta manes et stella maris
succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo:
tu quae genuisti,

Natura mirante, tuum
sanctum genitorem,
Virgo prius ac posterius,
Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave
peccátorum miserere.
Angelus Domini nuntiavit Mariae,
Et concepit de spiritu sancto.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nuntiante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Post partum virgo inviolata permansisti,

Dei genitrix intercede pro nobis.

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Amen.

Ave regina coelorum:
Ave domina angelorum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude virgo gloriosa
Super omnes speciosa:
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.
Dignare me laudare te virgo sacrata!
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Concede misericors Deus fragilitati nostrae praesidium; ut qui sanctae Dei genetricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

(Praesertim tempore pascali.)

Regina coeli laetare, alleluja!
Quia, quem meruisti portare, alleluja!
Resurrexit sicut dixit, alleluja!
Ora pro nobis Deum, alleluja!
Gaude et laetare virgo Maria, alleluja!
Quia surrexit Dominus vere, alleluja!

Deus, qui per resurrectionem filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare

care dignatus es; praesta quaesumus; ut per ejus genitricem virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Salve regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria,

Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, spiritu Sancto cooperante praeparasti: da, ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum, Amen.

Orationes ante Confessionem.

Deus omnipotens, rex coeli et terrae, sine quo nihil possum, nihil sum; respice in me et adjuva me, cum sanctum probationis meae et confessionis peccatorum meorum opus aggredior. Da, quaeso, spiritum sanctum tuum, ut me illuminet lumine coelesti, quo omnes actiones meas probare, quae malae sunt reprobare et rejicere et in amaritudine animae meae deflere et confiteri possim. Monstra mihi, quaecunque in anima mea occultá sint peccata malaeque affectiones, ut de iis ex intimo corde doleam.

Jesu Christe, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina cor meum splendore gratiae tuae; Te, exemplar meum sanctissimum, intuens videam et intelligam, qualis conversatio et omnis vita mea esse debuerit, et quam longe a te, qui via es et vita, aberraverim. Jesu, qui venisti, ut salvum faceres quod perierat, adjuva me, ne in peccatis manens aeterna morte peream.

Spiritus sancte, qui emissus super terram renovas faciem terrae, visita quaeso animam meam ut fiat munda, nova ac tibi placens. Per te videam et cognoscam, quantopere offenderim Deum, patrem meum benignissimum, Jesum salvatorem meum suavissimum, et te doctorem et rectorem animarum nostrarum.

Veni sancte spiritus, illumina mentem meam gratia tua, ut cognoscam peccata mea; move cor meum, ut de iis omnibus, quae male feci, ex corde doleam, sincere confitear, pleneque emendem.

Deus coeli et terrae, qui me de nihilo fecisti ad imaginem et similitudinem tuam, et me proprio sanguine tuo redemisti; ego peccator non sum dignus, neque nominare nomen sanctum tuum, neque invocare, neque corde cogitare.

Te suppliciter deprecor, et humiliter exoro, ut clementer respicias me servum tuum nequam. Miserere mei, qui misertus fuisti mulieris Chananaeae, et Mariae Magdalenae; parce mihi, qui pepercisti publicano et latroni in cruce pendenti.

Tibi, salvator piissime, confiteor peccata mea, quae, si vellem abscondere, non possum coram te, Domine, Parce mihi, Jesu Christe, quem nuper multum offendi cogitando, loquendo, operando et omnibus modis, quibus ego fragilis homo et peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa!

Ideo, Domine, precor tuam clementiam, qui de coelo pro mea salute descendisti, qui Davidem a peccati lapsu erexisti, parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Petro neganti pepercisti. Tu es creator meus, et redemtor meus; Dominus meus et salvator meus; rex meus et Deus meus.

Tu es spes mea et fiducia mea, gubernatio mea et auxilium meum; consolatio mea et fortitudo mea; defensio mea et liberatio mea; vita, salus et resurrectio mea; lumen meum et desiderium meum; adjutorium meum et patrocinium meum.

Te deprecor et rogo, adjuva me et salvus ero; guberna me et defende me; conforta me et consolare me; confirma me et laetifica me; illumina me et visita me;

suscita me mortuum, quia factura et opus manuum tuarum sum.

Domine, ne despicias me, quia famulus et servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus et peccator: sed qualiscunque sim, sive bonus sive malus, tamen tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te? Si tu me ejicis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet?

Recognosce ergo me indignum, ad te refugientem, quamvis sum vilis et immundus; tu me mundare potes. Sum caecus et infirmus; tu me illuminare et sanare vales. Sum mortuus et sepultus in peccatis, tu potes me resuscitare a morte animae. Major enim est misericordia tua quam iniquitas mea; major est pietas tua, quam impietas mea; plus potes dimittere quam ego committere; plus parcere, quam ego peccator peccare.

Ne despicias me, Domine, neve attendas multitudinem iniquitatum mearum; sed secundum multitudinem miserationum tuarum miserere mei, et propitius esto mihi, maximo peccatori.

Dic animae meae: Salus tua ego sum: Tu dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Converte me, Domine, ad te, et noli irasci mihi, quia sanguis tuus effusus est pro me, ut abluat et mundet me a peccatis meis.

Deprecor te, clementissime pater, propter misericordiam tuam et suppliciter oro, ut perducas me ad bonum finem, et ad veram poenitentiam, puram confessionem, et dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum, Amen.

Actus Contritionis.

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, creator et redemtor meus.

Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum ac Deum meum;

Tu enim es, quem amare debuerim super omnia, omni amore meo dignissimus, qui pro me, ne in aeternum perirem, homo factus et passus es, et sanguinem tuum fudisti in cruce, et mortuus es atrocissima morte.

Propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri et implere poenitentiam, quae mihi fuerit injuncta.

Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem ac mortem tuam, totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque beatae Mariae semper virginis, et omnium Sanctorum.

Confido in bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea.

Confido in bonitate tua, gratiam uberem te esse largiturum, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam. Qui cum patre et spiritu sancto vivis ac regnas Deus benedictus in saecula, Amen.

Post Confessionem.

Sit tibi Domine confessio ista, quam coram te, coram omnibus Sanctis et sacerdote tuo peregi, grata et accepta; et quidquid mihi defuit de sufficienti contritione,

de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua. Secundum multitudinem miserationum tuarum respicias me plene et perfecte absolutum in coelo.

Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus.

Homo — sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.

Gloria patri et filio et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum Amen.

Gratias ago tibi, piissime Jesu, quod me indignum peccatorem ad poenitentiam patienter exspectaveris, atque veniam et indulgentiam peccatorum misericorditer mihi concesseris. Per contritiones cordis tui, quas passus es in terra et per meritum passionis tuae supplere digneris omnem defectum contritionis meae et confessionis; et largire mihi gratiam, qua diligentius deinceps omnia peccata eorumque occasiones fugiam. Confidens in gratia tua, mihi fir-

miter propono, omnia peccata devitare et vitam sanctam instituere. Eligo potius quodlibet malum aut damnum subire et perpeti, quam scienter et ex proposito te offendere, voluntatemque tuam vel in minimo transgredi. Adjuva me, Domine Deus meus, quia sine te nihil possum. Tu, Jesu, salvator meus, sis benedictus cum patre et spiritu sancto in saecula saeculorum Amen.

Jam prudentius agamus,
Sanctam vitam eligamus,
In hoc mundo defleamus
Mala, quae peregimus.

Non vivamus ut jumenta,
Ne post mortem ad tormenta
Veniamus et lamenta
Intolerabilia.

Modo veniam precemur,
Mortem Christi meditemur,
Ad superna praeparemur
Desiderabilia.

Ecce mundus evanescit,
Decor ejus jam marcescit,

Et quotidie vilescit,
Fallax ejus gloria,
Quae demergit ad inferna.
Ergo gloria superna,
Vita nobis sempiterna,
Jugi sit memoria.
Ut defuncti sublevemur,
Cum coelestibus laetemur,
Et in Deo gloriemur,
Summe delectabili.
Qui solus glorificandus
Est amandus et optandus,
Laudeque magnificandus
Est interminabili. Amen.

Ante Communionem.

Gratias ago tibi, amantissime Domine Jesu Christe pro omnibus bonis, quae mihi et aliis quibuscunque hominibus unquam contulisti atque collaturus es. Gratias ago, quod ex pura caritate mihi dedisti corpus et animam, ac secundum animam fecisti me ad divinam imaginem et similitudinem tuam. Gratias ago, quod me ad sacrum baptisma, et ad rectae catholicaeque fidei cognitionem

me perduxisti. Gratias ago, quod me jam tamdiu tamque patienter tolerasti et ad te revocasti. Gratias ago, quod innumera peccata mea, quibus inferni tormenta commerui, tam clementer remisisti. Gratias ago, quod singulis momentis mihi benefacere non cessas, et salutem meam in omnibus promovere desideras. Gratias ago pro cunctis tribulationibus, angustiis, afflictionibus et poenis, quas hactenus mihi evenire permisisti. Eas tibi offero in laudem aeternam, in unione venerandae passionis tuae. Gratias ago pro universis miserationibus suavissimae pietatis tuae. Gratias ago pro incarnatione, nativitate, infantia, pueritia, adolescentia, juventute, laboribus, aerumnis, passione, morte, resurrectione et ascensione tua. Gratias ago pro institutione sacrosanctae et venerabilis eucharistiae, in qua te ipsum nobis reliquisti. Miserere mei, Jesu, miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum. Emunda me quaeso ab omni peccato, et negligentia et impuritate. Exorna egenam animam meam tuis meritis et virtutibus, ut tibi placeam. Amen.

(*Fides excitanda hunc in modum*) O Christe Jesu, verus Deus et homo, firma fide credo et profiteor, te vere et reipsa praesentem esse in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: Hoc est corpus meum. Credo, quidquid dixit Dei filius, nihil hoc verbo veritatis verius. Domine, adauge fidem meam.

Spes. Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Quare tristis es anima mea, et quare eonturbas me? Spera in Deum, fontem omnis boni, et auctorem gratiae, quem in hoc s. s. sacramento praesentem habes. Accede ad eum confidenter, quoniam suavis et mitis et multae misericordiae est omnibus invocantibus se. Ille solus dare potest omnia, quia super omnia, potens est, immo dare vult omnia, quia summe bonus est.

O spes mea Deus, propter hoc laetatum est cor meum, dum teipsum in hoc sacramento recipio, quia spero, te omnia daturum esse, quae mihi necessaria sunt, qui nobis teipsum dedisti. In te Domine confido, ne confundas me ab exspectatione mea!

Caritas. O dulcissime Salvator Christe Jesu, quanta fuit vis amoris, quae te traxit e sinu patris in hanc lacrimarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires; idque solum propter miseros nos homines propter nostram salutem.

O Domine, quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri? Diligam te itaque Domine fortitudo mea. O Deus, caritas! qui in caritate manet, in te manet; cupio te suscipere in hoc sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me deinceps separabit a caritate Christi salvatoris mei? Utinam hoc nec vita nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat!

Humilitas. Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Tu es rex coeli et terrae, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.

Sed qui est homo, quod memor es ejus, faciens ei memoriam mirabilium tuorum? Quid est filius hominis, quoniam visitas eum,

in hoc sacramento ad eum veniens? — Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Desiderium. O panis sancte, panis cor hominis confirmans, qui te manducat, vivet in aeternum; qui non manducat, vitam non habebit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit anima mea in atria tua Domine, ubi panem illum dispensas et das escam timentibus te.

Inclina aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. Refice esurientem animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, i. e. in coelum, ubi manducabo te pleno ore, in regno tuo, ubi satiabor ab ubertate domus tuae.

Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.

Domine non sum dignus, etc.

Domine non sum dignus, etc.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post Communionem.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu axaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Et ne permittas, me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum, Amen.

Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum et tenebo nec dimittam eum, qui est salus animae meae, salvator meus et dulcedo cordis mei. Te, mi Jesu, qui mecum es, te amplector; te, amoris mei gaudium teneo. Te, cordis mei thesaurum compre-

hendo; in te omnia possideo. Da mihi, ut sentiam virtutem praesentiae tuae; da, ut gustet mens mea, quam suavis sis Domine, ut amore tui captus nil amplius quaeram praeter te, nil diligam nisi propter te. Tu es rex meus, ne obliviscaris, quam inops et pauper sim ego servus tuus, et quanta sit tribulatio mea. Tu es judex meus, parce peccatis meis, et miserere mei. Tu es medicus meus, sana omnes infirmitates animae meae. Tu es sponsus animae meae, sis mecum conjunctus in aeternum, ne unquam separari possim a te. Tu es dux et defensor meus, pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me, non movebor in aeternum. Tu victima pro me factus es, et ego tibi sacrificabo hostiam laudis. In ara crucis obtulisti te patri tuo ut hostiam vivam et perpetuam pro peccatis meis; lava animam meam pretioso sanguine tuo, quem tu agnus sine macula fudisti in remissionem peccatorum. Tu redemtor meus es, redime animam meam de manu inferi, et salva me. Tu es Deus meus et omnia. Quid enim mihi est in coelo, et praeter te quid volui super

terram? Tu es Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

Deus ego amo te (ut supra pag. 66.)

Quam pulcher es, dilecte mi! quam bonus es, o unicae deliciae meae! Jesu Christe, vita spiritus mei! Te diligo, o vita mea; utinam ardentius diligam te! O summa suavitas mea; utinam plenius gustem te! O solum et omne bonum! O Deus meus! Ad te suspiro et clamo die ac nocte, quia sine te vivere non possum. Tu Jesu, sapientia mea es, et nihil amplius sapere cupio nisi te, et quidem Crucifixum. Tu es potentia infinita, per quem omnia possum. Tu es perfectio absoluta, a quo sumit originem quidquid perfectum aliqua parte est.

Quid tandem me poterit divellere ab amore tuo? an voluptas brevis? opes caducae? honores falsi? Nil me separabit a te, quia in te omnia invenio, quae desiderat anima mea. Inquietum est cor meum, cum abundaverit voluptatibus saeculi, divitiis mundanis, honoribus coram hominibus; inquie-

tum est cor meum, donec te invenerit et requiescat in te.

Adoro te devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei filius,
Nil hoc veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini
Panis vivus, vitam praestans homini;
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,

Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum potest omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae, Amen.

O clementissime Salvator, misericordiae et bonitati tuae confisus accessi ad mensam convivii tui, a qua conscius miseriae et iniquitatis meae merito abstinere debueram, ne forte reus fierem corporis et sanguinis tui.

Verum tu, dulcissime Domine, delicta mea et ignorantias meas ne memineris, sed potius reminiscere miserationum tuarum Domine, et ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? quis accedere ad mensam tuam audebit? quis feret rigorem justitiae tuae? aut quis subsistet in conspectu divinae majestatis tuae, cum coram te ne coeli quidem mundi sint?

Ecce, Domine, confiteor adversum me injustitiam meam, tu, quaeso, remitte impietatem peccati mei. Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Tu, qui venisti, ut peccatores salvos faceres, salva me; ne projicias me a facie tua, cum pro salute mea temet ipsum sponte tradidisti in pretium, cum pro alimonia mea temetipsum in cibum dedisti. O quanta erit fiducia peccatoris, cui cognita est tanta pietas Salvatoris!

Benignissime Deus, cupio ex toto corde tibi servire deinceps in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae meae.

Hoc omnibus votis desidero, ut cor meum ab omnibus rebus creatis abstrahatur, ut per virtutem hujus Sacramenti totus tibi uniar, ut ego in te maneam et tu in me. Tibi adhaerere cupio, quia tu es Deus salvator meus.

Utinam exhibeam corpus meum hostiam viventem, sanctam, tibi placentem! Vivat deinceps in me Christus, quem intra meipsum habeo.

Velle quidem mihi adjacet, perficere autem non invenio, quia in membris meis

invenio aliam legem, repugnantem legi mentis meae, ut non bonum faciam, quod volo, sed malum, quod reprobo. Ad te itaque levavi oculos meos, quia imperfectum me vident oculi tui.

Respice, quaeso, oculis misericordiae tuae infirmitatem meam; nam sine te nihil boni facere possumus, ex te autem est omnis potestas nostra. Tu itaque, Domine, deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam ingredi volui.

Eripe me de inimicis meis Domine, qui parasti in conspectu meo mensam sanctam, cujus modo particeps factus et in qua repletus sum dulcedine coelesti. Fac, ut videant omnes, te esse adjutorem meum et solatium meum.

Da mihi intellectum, ut sciam legem tuam, viam meam, et custodiam illam in toto corde meo. Proba me Deus, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas, et deduc me in via aeterna, in qua vadam ad contemplandum te in aula coelesti, et ad confitendum tibi cum omnibus sanctis tuis in aeternum.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere;
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac tuorum civium. Amen.

O Domine, cujus misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subiisti, et hoc sacramentum instituisti; salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae; et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Subveni, quaeso, famulis tuis, quos pretioso sanguine redemisti. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto, et de Sion tuere eos.

Miserere parentum, fratrum, amicorum, benefactorumque .... Communica eis me-

ritum pretiosi sanguinis tui, in salutem nostram effusi; ut in vita praesenti gratiam ad serviendum tibi percipiant; et sic demum ad aeternae vitae gloriam perveniant, et teipso fruantur in aeternum; ut ope gratiae tuae sic vitam praesentem instituant, ut tandem in coelis aeternae vitae proemia percipiant.

Miserere omnium fidelium defunctorum, praecipue parentum, benefactorum . . . . meorum, dimitte eis omnia peccata, munda eos, ut refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem recipiant et te glorificent cum omnibus sanctis tuis.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine:
Pulsa mentis caligine,
Moestos reple dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas
Et intus fervet caritas.

Amor Jesu dulcissimus,
Et vero suavissimus,

Plus

Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat ejus passio,
Hoc sanguinis effusio:
Per quam nobis redemtio
Datur et Dei visio.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite!

Jesu, auctor clementiae,
Totius spes laetitiae,
Amoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam;
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam
De te, tamen ne sileam:
Amor facit, ut audeam,
Cum de te solum gaudeam.

Tua, Jesu, dilectio
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt
Nisi Jesum, quem diligunt.

Sis, precor, meum gaudium
Qui es futurus praemium,
Tu solus mea gloria,
Spes decus et victoria.

O dulcissima virgo mater Maria, quae eundem Dominum, quem ego modo suscepi, de spiritu sancto suscepisti; intercede pro me apud eundem filium tuum, omnisque negligentiae et indignitatis, quam in summi hujus Sacramenti susceptione commisi, veniam mihi impetres.

O sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, et pervenire meruistis ad portum felicitatis aeternae, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis; obsecro vos per vestram caritatem, soliciti estote pro nobis! Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui nunc replet omne desiderium vestrum, estote memores nostri, qui adhuc in mediis naufragii periculis versamur, ut finito hujus vitae cursu tandem una vobiscum gaudeamus, et Deum laudemus per omnia saecula, Amen.

Preces

pro opportunitate temporis, praesertim die Dominica et diebus festis adhibendae.

Adoratio sanctissimae Trinitatis.

Te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum — Te unum, omnipotentem, sempiternum

atque incommutabilem Deum, creatorem coeli et terrae, visibiliumque et invisibilium supplici mente adoro. Te veram et ineffabilem Trinitatem in personis, veram et inseparabilem unitatem in substantia confiteor. Te laudo fulgidam semperque tranquillam Trinitatem, unicam Deitatem, clementissimum Dominum meum, dulcissimam spem meam, carissimum lumen meum, optatissimam requiem meam, gaudium meum, vitam meam, et omne bonum meum. Tuae benignissimae pietati animam pariter et corpus meum commendo; tuae sacratissimae majestati me totum subjicio, tuaeque divinae voluntati in aeternum me resigno ac trado. Tibi honor et gloria in saecula saeculorum, Amen.

O Pater coelestis, pater adorande, Domine Deus, miserere mei, quia servus tuus sum et filius ancillae tuae; miserere mei peccatoris, qui te jam saepissime offendi; miserere omnium! Ego in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro cunctis iniquitatibus ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi, et in

perfectam suppletionem bonorum operum ac meritorum, quae mihi desunt, offero tibi dilectum filium tuum Jesum Christum, in unione summae illius caritatis, qua tu eum ad nos misisti, nobisque eum dedisti salvatorem. Offero tibi sanctissimam incarnationem, vitam, passionem et mortem illius. Offero tibi virtutes ejus praecellentissimas, et quidquid ipse pro nobis fecit ac pertulit. Offero ejus labores, aerumnas, cruciatus et sanguinem pretiosum. Offero merita beatissimae Virginis Mariae et omnium Sanctorum tuorum. Adjuva me, quaeso, benignissime Pater, per eundem Filium tuum, in virtute Spiritus Sancti! Adesto miseris peccatoribus, eosque ad viam salutis misericorditer revoca! Da omnibus vivis veniam et gratiam; da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam! Amen.

Sancte spiritus, consolator dulcissime, qui a patre et filio ineffabiliter procedis, veni, obsecro, et illabere menti meae. Repurga et emunda me ab omni peccato, animamque meam sanctifica. Lava in me, quod est sordidum, riga quod est aridum,

sana quod est saucium, rege quod est devium. Redde me vere humilem et resignatum, ut ego tibi placeam, et tu super me requiescas. O lux beatissima, lux summe amabilis, illumina me! O melliflua paradisi voluptas, fons purissimarum deliciarum, Deus meus, tribue te mihi, atque in intimis meis ignem tui amoris vehementer accende! Domine mi, doce, guberna et protege me in omnibus! Confirma spiritum meum adversus inordinatam anxietatem mentis et timorem perversum. Largire mihi rectam fidem, inconcussam spem, et sinceram perfectamque caritatem. Praesta, ut tuam gratissimam voluntatem semper faciam. Amen.

Te Deum laudamus etc. vide p. 53.

Adoratio Jesu Christi.

Ave dulcis Jesu, laus tibi, honor et gloria Christe fili Dei vivi, Deus altissime, qui me creasti et secundum animam ad tuam divinam imaginem atque similitudinem condidisti, capacemque aeternae beatitudinis fecisti. Da ut ego tibi Domino meo, Deo meo et patri meo, fideli mente serviam,

peccata mea odio sancto persequar, et passionibus affectionibusque vitiosis in me peremtis, ad innocentiam vitae reformer.

Laus tibi, honor et gloria, Jesu Christe, qui coelum, terram, mare et ea quae coelo, terra marique continentur, meis usibus deputasti, et omnia mihi inservire solatioque esse voluisti. Largire quaeso, ut creaturis tuis nusquam abutar, ut omnia, quae fecisti, bonitatem tuam mihi praedicent, omnia in admirationem, cognitionem et amorem tui me rapiant.

Confitebor tibi, Domine Jesu Christe, qui tuâ pietate me in fide catholica natum, ab exordio vitae misericorditer educasti, cibum et potum aliaque necessaria suppeditans et corpus alens atque confovens. Utinam tu solus mihi sapias, solus animum meum et omnia interiora mea possideas. Utinam te panem coeli vehementer esuriam, te fontem vitae ardenter sitiam, ut post praesentis exilii terminum tuis perfectis deliciis satiari merear.

Tu Jesu Christe, salvator meus, qui animam tuam posuisti pro vita mea, hacte-

nus ab innumeris periculis animae et corporis me servasti atque eripuisti, et etiam abutentem donis tuis non dereliquisti. Illustra quaeso cor meum splendore gratiae tuae; ut ego tuam erga me pietatem, meamque erga te ingratitudinem exacte cognoscens, me defleam, mihi displiceam, tibi vero unico creatori et redemtori meo per omnia placeam.

Laus, honor et gloria tibi, Jesu Christe, qui me in vitiis et peccatis jacentem et inique viventem tamdiu longanimiter tolerasti, reservastique ad poenitentiam. Praesta ut omnes peccatorum praeteritorum sordes contritione tibi placenti, sanctisque operibus expiem, et vitae puritatem deinceps sectans, te super omnia aestuantissimo amore diligam.

Ave dulcis Jesu Christe, qui me peccatorem perire non permisisti, sed cum essem surdus ac te fugerem, ad salutis viam revocasti. Concede ut humili devotione posthac te sequar, tuos sanctos instinctus mente grata amplectar, omnibus rebus visibilibus corde valedicam, tibique soli inseparabiliter adhaeream.

Laus honor et gloria sit tibi in aeternum, Jesu Christe, qui me vilissimum peccatorem ita semper gubernasti, ita protexisti, ita misericordiae oculo respexisti, et adhuc quotidie peccantem ita benigne sustines, beneficiisque foves, quasi caeterorum oblitus curam mei solius gereres. Effice ut ego quoque ardentissime te amem, omnia transitoria propter te deseram, tibi soli intendam, tuam voluntatem paratissimo animo ubique sequar et perficiam, Amen.

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum;
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies,
Ut me te ipso saties.

Jesu, summa benignitas,
Mihi cordis jucunditas;
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit caritas.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te piae quaerunt lacrimae,
Te clamor mentis intimae!

Quocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero.
Quam laetus, cum invenero,
Quam felix, cum tenuero,

Veni, veni rex optime,
Deus immensae gloriae;
Affulge menti clarius,
Jam exspectatus longius.

Sequar quocunque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris,
Jesu laus nostri generis!

Rex virtutum, rex gloriae,
Rex insignis victoriae,
Jesu, largitor veniae,
Honor coelestis patriae.

Oblatio vitae et passionis Jesu Christi.

Dulcis Jesu, ego per omne tempus vitae meae graviter te offendi, tibi ingratus esse

nunquam destiti, gratiam tuam multis modis impediens, et veteribus delictis nova semper adjiciens. Multa sunt peccata mea; sed misericordia tua infinita atque immensa est. Fateor, prorsus indignus sum filii nomine, verumtamen te patrem meum esse agnosco. Tu es verus pater meus, tu es tota fiducia mea; tu es fons misericordiae, qui sordidos, confugientes ad te, non repellis sed abluis. Ecce, o suave refugium meum, ecce ego, omnium creaturarum tuarum peripsema, venio ad te, nihil mecum afferens nisi peccatorum sarcinas. Humiliter procido ad pedes pietatis tuae; humiliter imploro misericordiam tuam; ignosce mihi, obsecro, o spes mea certissima, et salva me propter nomen tuum. Credo enim nulla delicta tam gravia atque enormia esse, quae meritis sanctissimae passionis tuae expiari non possint.

Dulcis Jesu, ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam caritatem, qua tu Deus aeternae majestatis homo passibilis propter nos fieri, et plus quam triginta annis inter multiplices labores, aerumnas atque persecutiones fatigari

non dedignatus es. Offero illum moerorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando patrem fixis terrae genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium, quo flagrabas, quando teipsum tuis inimicis ultro obtulisti capiendum. Offero vincula, verbera, improperia, convitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera injuriarum, quas in domo Annae et in domo Caiphae per totam noctem passus fuisti. Haec tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices et ad vitam aeternam perducas.

Dulcis Jesu, ego pro universis iniquitatibus meis offero tibi inauditam illam ignominiam, quam sustinuisti, quando caesus, consputus ac vinctus mane ducebaris ad Pilatum, deinde a Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum. Offero illud sanctum silentium, quo humiliter tacuisti ad illatas contumelias et injurias. Offero contemtum tuum et ridiculae vestis probrum, quo ab Herode affectus fuisti. Offero acer-

bissimam illam poenam quam perpessus es, quando ad columnam ligatus dire flagellabaris. Offero ipsorum flagrorum sulcos, et purpurei sanguinis rivulos, e sanctissimis membris tuis undique prosilientes. Haec tibi offero gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam aeternam perducas.

Dulcis Jesu, ego pro universis delictis meis offero tibi ineffabilem humilitatem illam ac patientiam, quam exhibuisti, quando veste coccinea ad majus ludibrium indutus, spinis coronabaris, nugatorie salutabaris, impie conspuebaris, alapis et arundine caedebaris, ante tribunal statuebaris, injuste damnabaris demumque ad Calvariae locum crucem propriam bajulans, ignominiose protrahebaris. Offero dolendam illam sanctissimi corporis tui fatigationem et laboriosos pedum tuorum gressus atque humerorum tuorum gravissimam pressuram. Offero sudores, sitim et caetera omnia quae mitissimo promtissimoque corde mei causa tunc pertulisti. Haec tibi offero, gratias agens

rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam aeternam perducas.

Dulcis Jesu, ego pro universis sceleribus meis offero tibi atrocissimos illos dolores, quos passus es, quando sanctissimi corporis tui vulnera vestimentorum detractione innovabantur, quando manus et pedes cruci affigebantur, quando membrorum tuorum compages solvebantur, quando pretiosus sanguis tuus e vulneribus sacris velut e fontibus largiter profluens fundebatur. Offero singulas rosei illius sanguinis guttas. Offero inexplicabilem mansuetudinem et benignitatem tuam, qua iniquorum tibi insultantium proterviam patientissime tolerasti, et insuper pro eis patrem orasti. Haec tibi offero gratias agens rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices et ad vitam aeternam perducas.

Dulcis Jesu, ego pro universis culpis, vanitatibus, negligentiis et distractionibus meis offero tibi incomprehensibiles illos cruciatus, quos pertulisti, quando angustiis

totus expositus, et omni consolatione destitutus, miserabiliter in cruce pendebas medius inter latrones, et quando vehementissima siti aestuans felle atque aceto potabaris. Offero summam illam caritatem, qua tu caput venerandum inclinans, pro nobis emisisti spiritum. Offero pretiosum illum sanguinem et salutiferam illam aquam, quae de latere tuo lanceâ confosso effluxerunt. Haec tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices et ad vitam aeternam perducas.

Dulcis Jesu, ego in perfectam remissionem omnium offensarum, quas in te quovis modo per omne tempus vitae meae admisi, offero tibi omnia redemtionis nostrae mysteria quae peregisti. Offero incarnationem, nativitatem, conversationem, passionem ac mortem tuam. Offero quidquid in gloriosissima genitrice tua virgine Maria et caeteris sanctis unquam tibi placuerit. Eja suavissime Jesu, satisfaciat quaeso pro peccatis meis coram Patre tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam nimis

indignam ac sceleratam, purissima sindone meritorum tuorum involve; ut mea, quae immunda sunt, tuis copulata, mundentur, et mea, quae imperfecta sunt, tuis unita perficiantur; atque ita et praesenti vita durante tibi placeam, et cursu hujus miserae peregrinationis confecto, mox ad te, qui es salus aeterna, perveniam. Amen.

Pater summae majestatis,
Recordare caritatis,
Qua das mundo filium.

Recordare pietatis,
Qua de throno Deitatis
Intrat hoc exilium.

Recordare Jesu Christi,
Cur, quem parem genuisti,
Forma servi nascitur.

Recordare, quo moerore,
Quo pavore, quo dolore
Orans horto stringitur.

Recordare, quia poris
Resolutis, vi tremoris
Sanguine perfunditur.

Recordare, quo tumultu,
Quibus dolis, quali vultu
Mitis agnus capitur.

Recordare, quia Jesus
Stans velatus, palmis caesus
Prophetare cogitur.

Recordare, qua corona
Cuncta comprehendens dona
Sanctum caput cingitur.

Recordare, quod exutus,
Flagellatus et consputus
Purpura contegitur.

Recordare, quia gratis
Accusatus ab ingratis
Tandem morti traditur.

Recordare, quia justus
Condemnatur et injustus
Barrabas dimittitur.

Recordare, quale pondus
Crucis portat, quia mundus
Mole culpae premitur.

Recordare, quia cruci
Per iniquos ira truci
Innocens affigitur.

Recordare, quia vermis
Et non homo, tam inermis
In altum erigitur.

Recordare quod invictus,
Victor tanquam maledictus
Sic pendere cernitur.

Recordare, quali zelo
Natus a te missus coelo
Tot indigna patitur.

Recordare, quanto luctu,
Viso ventris sui fructu
Pia mater angitur.

Recordare, quo sermone
Mira Christi pro latrone
Pietas exprimitur.

Recordare potum fellis
Et aceti, quod tenellis
Labiis apponitur.

Recordare, quo pavore
Eli! clamans in dolore
Se relictum queritur.

Recordare, quem tremorem
Terra praefert, Sol horrorem,
Dum lux mundi moritur.

Recordare, quo livore
Manat unda cum cruore,
Dum cor Jesu foditur.

Recordare, quo mucrone
Cari Jesu in agone
Pectus matris scinditur,

O quae traxit vis amoris,
Ut portaret tot doloris
Innocens supplicia!

Vere summae pietatis,
Et immensae caritatis
Isthaec sunt indicia.

In hac ergo tam foecunda
Caritate nos emunda
Vitiorum sordibus.

O fac Christi cicatrices
Caritatis dent radices
Nostris fixas cordibus. Amen.

Commendatio sui ipsius in quinque vulnera Christi.

I.

Benignissime Jesu, dulcissimo vulneri pedis tui dextri toto cordis affectu offero, quaecunque mihi prospera et jucunda in hac vita contingere, pio providentiae tuae consilio disponis, illaque sic tuae divinae voluntati una mecum unio, ut ab ea nulla prorsus tentatione separari aut avelli velim in aeternum.

Ignosce mihi, mitissime Iesu, per salutiferum vulnus dextri pedis tui, quidquid unquam pravis cogitationibus contra te deliqui; ejusque infinitis meritis compensa, quidquid boni cogitare neglexi; ut posthac te solum summum bonum meum desiderem, quaeram et inveniam quem diligit anima mea.

Salve vulnus gratiosum
Christi fluens sanguine.
Cor da mihi fructuosum
Vacans omni crimine.
Simplex, humile, zelosum,
Imo gaudens ordine.

Pater. Ave.

II.

Benignissime Jesu, in dulcissimo vulnere benedicti pedis tui sinistri recondo omnes tribulationes, adversitates, angustias et amaritudines, quas divina providentia tua totius vitae meae decursu mihi vel immittet, vel evenire permittet; easque unio et conjungo amarissimis doloribus tuis, hoc unum desiderans, ut momentaneum et leve tribulationis meae, aeternum gloriae pondus mihi operetur in coelis.

Ignosce mihi quaeso, dulcissime Jesu, per benedictum vulnus sinistri pedis tui, quidquid abusu sensuum, tam internorum quam externorum, contra divinum beneplacitum tuum perperam gessi; et sic eos posthac coërce fraeno timoris tui, ut mundo et

omnibus creaturis quasi mortuus, nihil sentiam, nihil concupiscam, nisi te solum Deum meum pro me crucifixum.

Salve plaga peramoena,
Profluens solatio.
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio.
Casto tibi mens serena
Jungat se consortio.

Pater. Ave.

III.

Benignissime Jesu, in dulcissimo vulnere benedictae manus tuae dexterae deinceps repono omnia opera mea, quaecunque per gratiam tuam facturus sum; eaque sic dico et consecro honori ac gloriae tuae, ut eorum meritum per vanam gloriam corrumpi plane nolim; sed ut merces integra et copiosa mihi reposita maneat in coelo.

Humillime supplico, dulcissime Jesu, per sacrum vulnus dextrae manus tuae, ignosce omnibus malis et vitiosis actibus meis, et ex illius vulneris merito in integrum restitue, quidquid culpabili negligentia, in

quocunque obligationis genere, per omissionem peccavi; et fac, ut per gratiam tuam deinceps talenta a te mihi data fructuosius impendam.

Salve rubens ex cruore
Jesu plaga Dexterae!
O fac tua cum fervore
Jussa quaeram propere;
Geram corde, promam ore,
Praestem promtus opere.

Pater. Ave.

IV.

Benignissime Jesu, in dulcissimum vulnus sinistrae manus tuae immergo omnia vitia et delicta mea, unice flagitans, ut ea roseo sanguine tuo, quem pro salute nostra ex eo profudisti, sic aboleas et extinguas, ne coram divino tribunali tuo me accusent, et a te justo judice contra me sententiam damnationis expostulent.

Ignosce, dulcissime Jesu, per vulnus sinistrae manus tuae iracundiae meae et subitis impatientiae iraeque motibus, in quos saepe minima occasione data nimis praeceps

et imprudens erumpo; atque ex ejusdem vulneris coelesti thesauro verae patientiae remedium in omnibus adversis mihi subministra, ut possidere merear promissam mansuetis terram viventium.

Salve Laevae vulnus Christi
Sanguine purpureum.
Fac me quovis casu tristi
Mitem et pacificum;
Cunctis, quos tu redemisti,
Lenem ac benevolum.

Pater. Ave.

V.

Benignissime Jesu, in amantissimum transfixi cordis tui vulnus resigno cor meum, cum omnibus suis desideriis et affectibus; ut illud divino amore tuo sic repleas et trahas ad te, ne posthac unquam amplius vel minimum recedat a mandatis tuis.

Ignosce clementer, dulcissime Jesu, per sacrum vulnus perforati cordis tui, quidquid cor meum voluntate perversa aut intentione prava unquam deliquit; et in divinissimum cor tuum sic insere fragile cor meum, ut nihil

nihil sentiat, nihil ambiat, nihil concupiscat, nisi secundum cor tuum; et in ejus directione jugiter conquiescens, in omni bono usque ad finem vitae firmiter perseveret.

Salve scissum cum dolore,
Jesu cor dulcissimum,
Nobis patens ex amore
Praesta cordis gaudium.
Det virtutum cum splendore
Caritas incendium.

Pater. Ave.

Septem verba a Christo in cruce prolata.

I. *Pater ignösce eis, nesciunt, quid faciunt.*

Ave Jesu, qui mactaris,
Sed tortorum deprecaris,
  Patrem culpae parcere.
Promte fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere
  Corde, verbis, opere.

II. *Hodie mecum eris in Paradiso!*

Ave Jesu, qui latroni
Poenitenti summi boni
Promisisti gratiam.
Tali nos contritione
Nunc et mortis in agone
Fac mereri veniam.

III. *Mater, ecce, filius tuus! fili, ecce, mater tua!*

Ave Jesu, qui praesentem
Cruci matrem, heu, dolentem
Commendas discipulo.
Pari nos tuere cura,
Per te constet mens secura
Quovis in periculo.

IV. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!*

Ave Jesu, qui dixisti,
Pater quid me dereliquisti
Tantis in suppliciis?
Ne nos linquas, ut ruamus,
Semper tecum persistamus
Fortes in angustiis.

V. *Sitio!*

Ave Jesu, qui testaris
Sitim, sed heu, quî potaris,
Tu qui pascis omnia.
Fac aeterna nos sitire,
Mundi, cordis fastidire
Fugitiva gaudia.

VI. *Consummatum est!*

Ave Jesu, consummasti
Jussa patris, et donasti
Tua nobis merita.
Bene fac nos inchoare,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

VII. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum!*

Ave Jesu, qui sermonem
Morte claudens et agonem,
Patri tradis animam.
O mors tua nos emundet,
Vitam bonis, fac, foecundet,
Mortem det tutissimam.

Salutatio s. Cordis Jesu.

Salve cor Jesu dulcissimum, vivum profluvium omnis bonitatis et gratiae. Millies et millies benedico et saluto te in divina bonitate, quia es fons et origo, ex quo omnis bonitas et misericordia promanant. O nobile et pretiosum cor Jesu Christi, saluto et adoro te in abundantia omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties inebriasti torrente divinae voluptatis tuae.

O cor Jesu cor dulce. O cor Jesu cor suave. O cor Jesu cor amabile. O cor manans dulcedine, redundans pietate, supereffluens caritate. In te immergo spiritum meum et in profundum tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi offero omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. O cor dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium dignissimum, offer temetipsum super altare recon-

ciliationis hominum in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Saluto te cor Jesu nobilissimum in illo amore, quo a sanctissima Trinitate omnibus coelestibus bonis decoratum es. Magnifico te, cor Jesu mitissimum, in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, cor Jesu benignissimum in illo amore, quo in cruce moriens diruptum fuisti. Collaudo te, cor Jesu fidelissimum in illo amore, quo lancea transverberari sanguinemque et aquam distillare voluisti.

Te igitur, o sanctissima Trinitas, per illud benedictum cor Salvatoris mei laudo, glorifico et benedico, quod huic tam nobilissimo cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre voluisti; et summo affectu ac summa reverentia offero tuae supremae Majestati idipsum cor dulcissimum ac unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est, divina gratitudine ac omnis beatitudinis perfectione, superexcellens in perpetuum; orans, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris,

quidquid mali commisi et in omni bono neglexi.

Salve Jesu, dux Sanctorum,
Mundi lux, rex Angelorum,
Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum
Tua quos, o Vir dolorum,
Gignit mors et caritas.

O divinum cor aveto,
Te saluto corde laeto.
Te complecti me delectat,
Istud unum, quod affectat
Cor ad Deum sitiens.
O quis amor cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat,
Cum te prorsus exhaurires,
Ut te nobis impartires,
O fons indeficiens!

O mors dira, mors amara!
Vah immitis et avara,
Quae nec Jesum praeteristi,
Quin hunc telo feris tristi,
Rumpens cor dulcissimum.

O per mortem, quam tulisti,
Et cor fodi permisisti;
Meum, precor, intellectum
Redde simul et affectum
Cordi tuo consonum.

In medullam cordis mei,
O fac summae dator spei,
Tuus amor inferatur,
Meus in te transferatur
His caducis altior.
Quisquis amat, sed sincere,
Hoc quod loquor, sentit vere;
Nullus modus est amori,
Pro Dilecto cogit mori;
Amor morte fortior.

Amans vivit per amorem,
Nescit moras, vincit morem,
Quidquid jubet Praedilectus,
Promtus capit hoc affectus
Nulli cedens aspero.
Sit haec prima mihi cura,
Ut te mente quaeram pura.
O quam vere tunc laetabor,

O quam felix gloriabor,
  Jesum cum possedero.

Pande cordis tui sinum,
Scis, queis meum sit vicinum.
En, mi Jesu, cor paratum
Cape, ne vis potestatum
  Caro, mundus rapiat.
Huc anhelat, huc movetur,
Ubi cubet et moretur.
Nil prae Jesu lubet scire,
Nec terrenum quid ambire,
  Ut te solum sapiat.

Salutatio sanctissimi Sacramenti altaris.

Salve nobilissimum corpus et pretiosissime sanguis Domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesens, te adoro tali cultu et devotione, qua novem Angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, te Dominum meum et Deum meum vere hîc contineri.

Salve nobilissimum corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera hostia in cruce im-

molata. Adoro te in unione istius adorationis, qua humanitas tua adoravit Divinitatem; et cum affectu omnium Electorum ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere digneris.

Salve, pie Jesu, Verbum patris, Splendor gloriae, fons pietatis, salus mundi, sacra hostia! Salve Jesu Christe, splendor patris, princeps pacis, janua coeli, panis vivus, virginis partus, vas Deitatis.

Credo firmissime, Te Deum meum hic praesentem esse, meque ex hoc sacramento intueri, atque intima cordis mei perspicere. Credo, sub hac panis specie non solum carnem et sanguinem tuum, sed etiam Deitatem et Humanitatem tuam contineri. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, ut vitam meam et sanguinem meum pro hac veritate profundere paratus sim.

Coram te, o s. s. Sacramentum summa cum reverentia procido, et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum sanctis Cherubim et Seraphim, cumque omni militia coelestis

exercitus hymnum gloriae tuae concino, dicens: Centies millies laudetur s. s. altaris Sacramentum.

O intimae misericordiae paterni cordis, gratias ago tibi, sacro sancta Trinitatis, pro salutifera institutione hujus s. s. Sacramenti et quod gratitudinis tibi debitae mihi deest, suppleat caritas et gratiarum actio, quam tu tibimet ipsa refers.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam; laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam, benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Jesu, quod in salutis nostrae subsidium hoc magnificum sacramentum instituere dignatus es.

Jesu Christe, unica et vera fiducia animae meae, te laudo, te amo, te colo, te adoro, atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo patri pro debitis meis tam multis offeras, sicut teipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum, humiliter coram te prostratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Jesu, per ineffabilem amorem dulcissimi cordis tui miserere mei, et recipe me in gratiam tuam, propter gloriam nominis tui.

O pater amantissime, offero tibi hunc dilectum filium tuum, in perpetuum laudis tuae holocaustum, et in propitiationis peccatorum nostrorum sacrificium sempiternum. Respice, quaeso, in faciem Christi tui, et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pependit in cruce et miserere nostri. Amen.

Commendo me tibi, o bone Jesu, intra mellifluum cor tuum, absconde me, et ne permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me, pro omnibus amicis meis, per lacrimas tuas, per sudorem et sanguinem tuum, Amen.

Benedic mihi Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam, amplectendi tuam sanctam voluntatem semper et in omnibus, nunc et in hora mortis meae! Amen.

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit;
Fitque sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit;
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Oratio s. Bonaventurae coram Sanctissimo.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque, et Apostolica sanctissima caritate,

ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanotarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei. Te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cnm facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem. Et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus,

dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

Lauda, Sion, salvatorem,
Lauda ducem et pastorem,
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora,
Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensae primae recolitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi Regis,
Novum pascha novae legis,
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus
Latent res eximiae,
Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille.
Nec sumtus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali
Vitae vel interitus.
Mors est malis, vita bonis;
Vide paris sumtionis
Quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.

Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum;
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur;
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere;
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales;
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium, Amen.
Alleluja.

Preces ad spiritum sanctum.

O sancte Spiritus, cum Patre et Filio unus et verus Deus, sine cujus numine nihil est in homine. Regenerati ex aqua et spiritu sancto membra sumus Christi Jesu, et filii ecclesiae ejus, quam tu quoque continuo influxu gratiae et bonitatis tuae regis, protegis, foecundas, atque sanctificas.

Tibi itaque cor meum, meque ipsum

totum offero, omnes res et actiones meas supplex tibi devoveo ac consecro.

Tu, quaeso, purifica per infusionem donorum et charismatum tuorum sensus et cor meum, ut tibi semper casto corpore servire, et mundo corde placere valeam.

Et quia sine te nihil boni a nobis cogitari potest, nedum perfici; tua me, quaeso, gratia semper praeveniat et sequatur, ac bonis operibus jugiter praestet esse intentum; eaque, cum ex seipsis indigna sint, quae placeant tibi, accipe clementer in unione sanctissimorum operum ac meritorum Christi Jesu, ut sicut ille per virginem purissimam, Te obumbrante, conceptus, factus est nobis salvator, sic ex illius gratia, caritate et meritis infinitis, nostrae infirmitatis et inopiae subsidium sentiamus.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, infirma nostri corporis virtute firmans perpeti. Amen.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
  Veni lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
  Dulce refrigerium.

In labore requies,
In aestu temperies,
  In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
  Tuorum fidelium.

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
  Nihil est innoxium.

Lava quod et sordidum,
Riga quod est aridum,
  Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum.
  Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confitentibus
  Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium, Amen.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuae piae petitionis effectum; ut, quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti; quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,

Fons vivus, ignis caritas
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Teque utriusque spiritum
Credamus omni tempore.

Deo patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Alius hymnus in hon. spir. s.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum; purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum Domine; ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet; et inducat in omnem sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti; quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium etc.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica; ut veniens Domi-

nus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Qui procedis ab Utroque
Genitore genitoque
Spiritus Paraclite!
Redde linguas eloquentes,
Sed accende primum mentes
Caritatis fomite.

Amor Patris Filiique,
Par amborum et utrique
Gloria consimilis.
Coelos imples, terras foves,
Mare domas, cuncta moves
Permanens immobilis.

Te docente nil obscurum,
Te praesente nil impurum,
Cuncta sunt splendentia.
Gloriatur mens jucunda;
Per te sana, per te munda
Gaudet conscientia.

Quando venis, corda lenis,
Quando subis, atrae nubis
Effugit obscuritas.

Sacer

Sacer ignis pectus uris,
Non comburis, sed a curis
Eruis, dum visitas.

Mentes prius imperitas
Et sopitas et oblitas
Erudis et excitas.
Cor ad fidem facit pronum,
Ori muto reddit sonum
Manans a te claritas.

O quam felix, quam festiva
Dies, in qua primitiva
Conditur ecclesia!
Vivae sunt primitiae
Nascentis ecclesiae
Tria plebis millia.

Tu perversos corde vitas,
Sed sinceros mente ditas
Dono sapientiae.
Veritatem notam facis,
Et ostendis viam pacis,
Semitas justitiae.

Consolator alme veni,
Linguas rege, corda leni,

Nihil fellis vel veneni
   Tui fert praesentia.
Nil jucundum, nil amoenum,
Nil salubre, nil serenum,
Nihil dulce, nihil plenum
   Sine tua gratia.

Tu coeleste condimentum,
Medicamen et unguentum,
Aquae ditans elementum
   Virtute mysterii.
Nova facti creatura
Te laudamus mente pura,
Irae prius ex natura,
   Gratiae nunc filii.

O qui dator es et donum,
Tu qui condis omne bonum,
   Mentis dona gaudium.
Tange corda, terge sordes,
Vincto pacis fac concordes,
   Adsis ad praesidium:

Sicut post ascensum Christi
Rudes linguis imbuisti
   Variis discipulos.

Demum mortis ab hac valle
Duc ad vitam recto calle
Laetos de victoria.
Ubi Patris, ubi tui,
Et aeterni Verbi frui
Mereamur gloria. Amen.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui; et spiritu principali confirma me.

Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Gloria patri et filio, et spiritui sancto; sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum, Amen.

Devotiones erga Beatam Virginem.

Ave suavis mater, ave virgo sacratissima, quam Deus elegit matrem unigeniti

filii sui ante saecula. Tu es felix illa Dei creatura, per quam ima summis copulata sunt. Tu exordium vitae, aurora gratiae, tu portus naufragi saeculi. Orá pro me, ut mihi donetur perfecta peccatorum meorum venia et spiritus sancti gratia, qua filium tuum, salvatorem meum et te matrem ejus studiose colam et caste ardenterque diligam.

Assume me, Domina, ut servum tuum, adopta me, Mater mea, ut filium tuum; largire ut inter illos numerer, quos virgineo pectori tuo inscriptos amas, adjuvas ac protegis. Ne repellas me iniquum, peccatorum illuvie foedatum, sed exaudi me miserum clamantem ad te, consolare me, desiderantem te, et adjuva me, qui refugio sub tuum praesidium.

Impetra mihi, o perfectae innocentiae virgo, impetra mihi veram vitae sanctimoniam; dissipa in me, quidquid virgineis oculis tuis displicet. Tu, sanctissima virgo, ab infantia vitam degisti angelicam, tota humilis, tota pia, tota mitis, tota benigna, omnes te intuentes ad vitae integritatem

puritatemque mirifice alliciebas. Dona mihi odorem sanctae conversationis ex te haustum apud omnes spirare: ut quantum in me est, nemini sim gravis, neminem scandalizem, sed omnes consoler, omnes ad Dei amorem mundique contemtum provocem.

Salve mater pietatis,
Per aeternum Trinitatis
  Condita consilium.
Ut immensum, increatum
Verbum Patris, incarnatum
  Mater gignas Filium. *Ave.*

Gaude coelum et mirare;
Psalle terra, plaude mare,
  Deum laudent omnia.
Nam creator potens jure
Novo foetu creaturae
  Mundo parat gaudia. *Ave.*

Salve mater, quae pendentem
Et pro nobis morientem
  Cruce cernis filium.
Heu, quis dolor, perdis natum,
Cujus vice commendatum
  Recipis discipulum! *Ave.*

In hac valle lacrymarum
Nihil constans, nihil clarum,
  Suspecta sunt omnia.
Quid hic nobis erit tutum,
Cum nec ipsa vel virtutum
  Tuta sit victoria? *Ave.*

Caro menti reluctatur,
Mundus carni suffragatur,
  Nobis in perniciem.
Satan instat nos infestans,
Nunc se palam manifestans,
  Nunc occultans rabiem. *Ave.*

Tot ac tantis lacessiti
Non valemus, heu, reniti,
  Passi damna virium.
Hinc sagittis tot ferimur,
Hinc diversis irretimur
  Laqueis venantium. *Ave.*

Sed Maria mater Dei,
Tu post Natum fida spei
  Anchora fidelium:
Tu solatrix miserorum,
Tu patrona peccatorum
  Pressis fer auxilium. *Ave.*

O sancta Maria, regina clementiae, sub tuum praesidium ac defensionis clypeum confugio, sub tegmine alarum tuarum, sub tutela maternae protectionis tuae vivere ac mori volo.

O sancta Maria, mater pulchrae dilectionis, in hora mortis sis advocata mea, et firmum auxilium, ut confundantur inimici mei, qui quaerunt animam meam ad perdendam illam.

O sancta Maria, dulcissima virgo, conforta me in doloribus mortis meae, et consolare me in benignitate tua; concede mihi vivere in tua materna benedictione, ut sub tua virginea custodia feliciter moriar.

De septem gaudiis B. M. V.

I. Gaude virgo, mater Christi,
Quia Jesum concepisti
Gabriele nuntio.
Ergo mater, fac salvemur,
Nam quod matrem te fatemur,
Nostra salus ratio.

II. Gaude mater Deo plena,
Novo gignens sine poena
Foetum puerperio.
Eja virgo peramoena,
Casto natum mens serena
Stringat desiderio.

III. Gaude, quod ab oriente
Magi stella praelucente
Dona ferunt filio.
Fac donemur pietate,
Fide, spe cum caritate,
Pudorisque lilio.

IV. Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget resurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens et supernorum
Gustum spiret actio.

V. Gaude, coelos ascendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.
Via vitae restituta,
Quam post Natum tu secuta
Fac sequamur serio.

VI. Gaude, quia Paracletus
Missus coelo, novos foetus
Igne format Entheo (divino).
Igne sacri nos amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur taedio.

VII. Gaude, quae post Christum scandis,
Astra coeli fisque grandis
Filii consortio.
O fac fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.

De septem doloribus B. M. V.

I. Ave dulcis mater Christi,
Quae cor tuum gladio
Transfigendum discis tristi
Senis vaticinio.
Tanti memor, fac, doloris,
Mihi sis praesidio.
Ut post vallem hanc moeroris
Coeli reddar gaudio. *Ave.*

II. Ave dulcis mater Christi,
Quae prae regis furia

Saevientis caede tristi
 Fugis exul patria.
O regina Beatorum
 Nostri spes exilii ;
Fac infractus vi malorum
 Fiam consors filii. *Ave.*

III. Ave dulcis mater Christi,
 Natum lugens inclytum.
O quam tristis quaesivisti
 Triduo jam perditum !
Hujus memor o doloris
 Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris
 Nexum semper teneam. *Ave.*

IV. Ave dulcis mater Christi,
 Quae dilectum filium
Capi, caedi flens vidisti
 Manibus crudelium.
O per poenas Patientis
 Nobis sit impunitas ;
Per amorem condolentis
 Matris crescat caritas ! *Ave.*

V. Ave dulcis mater Christi,
 Quae sub crucis arbore

Gemens Natum marte tristi
Vides, heu, succumbere.
O per ensem hunc doloris,
Qui tunc scidit animam,
Fac me firmet vis amoris
Mortis ad victoriam. *Ave.*

VI. Ave dulcis mater Christi,
Quae de cruce mortuum
Ulnis Natum suscepisti,
Madens unda fletuum.
Eja praestet vis doloris,
Mater plena gratiae,
Ut supremis server horis
Gremio clementiae. *Ave.*

VII. Ave dulcis mater Christi
Quae sepulchro conditum
Plangis Natum, heu qnam tristi
Mente volvens abitum!
In virtute tot dolorum,
Quos tulisti fortiter,
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter,
Demum sorte Beatorum
Fac gaudere jugiter.

Ave suavis Maria, quae propter Unigeniti tui labores, persecutiones, et atrocem ignominiosamque passionem indoluisti ex intimis piissimi cordis tui visceribus. Da, ut ipsum Deum meum pro his, quae mei causa fecit ac pertulit, semper laudem, et omnium, qui in miseriis ac calamitatibus constituti sunt, vere commiserescam.

Ave suavis Maria, cujus beatam animam gladius doloris pertransivit, quando sub cruce filii tui pendentis acerbissimosque cruciatus tolerantis et sanguinem suum fundentis atque ad extremum exspirantis stetisti tota lacrimosa. Da mihi tecum stare, et grata mente recolere passionem mortemque ejusdem Unigeniti tui, redemtoris mei et salvatoris.

Ave suavis Maria, quam Jesus Christus sua triumphali resurrectione exhilaravit, et post ascensum ad patrem, ineffabili cum gloria in coelum assumsit, ubi tu illustris regina resides supra choros angelorum exaltata. Humiliter te precamur, ut nostri curam geras, nosque tuis orationibus mise-

ricorditer excuses apud ipsum filium tuum judicem vivorum ac mortuorum, Amen.

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Pia mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi matrem contemplari
Dolentem cum filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum,
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero,
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere,

Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
  Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
  Et cruore filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, virgo, sim defensus
  In die judicii.

Fac me cruce custodiri,
Morte Christi praemuniri,
  Confoveri gratia;
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur,
  Paradisi gloria. Amen.

Orationes ad Sanctos.

Omnes sancti tui, quaesumus Domine, nos ubique adjuvent, et intercessione sua laetificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Omnipotens sempiterne Deus, pacem nostris concede temporibus, et ab ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, per inter-

cessionem omnium Sanctorum, qui tua pace fruentes ecclesiam tuam suis virtutibus et meritis ornaverunt.

Iter, actus et voluntates nostras et omnium famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone; et benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictus sis Domine, perennis fons bonorum omnium, qui sanctos Apostolos filii tui primigenitos ac primos evangelii praecones ecclesiaeque christianae columnas et fundamenta prae Sanctis omnibus delegisti, ut eorum salutaribus doctrinis et admirandis operibus fides Catholica apud Judaeos et Gentes, totoque terrarum orbe plurimum illustraretur.

Tuam igitur majestatem humillime rogo, ut, sicut per eosdem religionis nostrae principes ad fidei unitatem vocati atque in Una ecclesia congregati manemus; ita etiam sanctam eorum conversationem irreprehensibiliter vivendo sectemur, et cum Chri-

stiana professione ardentem imprimis caritatem jugemque patientiam conjungamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicam Dominum, tam gloriosum, potentem ac mirabilem in sanctis Martyribus suis, qui tam praeclare in utraque ecclesia, in militante et triumphante fulgent. Pretiosa eorum vita in terra fuit, pretiosior mors, pretiosissima eorum gloria in coelis, qua rex aeternus coronavit milites suos pro fide ac justitia ad mortem usque certantes, quia fundati erant supra firmam petram, et tanquam aurum in fornace probatum, resplenduerunt.

O invictos Christi athletas, quos non hujus vitae blandimenta, non hostium insidiae, non suppliciorum vis aut tortorum immanitas; non vita neque mors neque ulla creatura a caritate, quae est in Christo Jesu, separare potuerunt.

Orate pro nobis, ut adversa omnia, tum nos ipsos et mortem quoque Dei amore vincamus, utque Christi calicem exemplo

vestro intrepide bibamus, qui vobiscum a communi Domino in coelis coronari desideramus.

Domine Jesu Christe, rex gloriae et splendor Sanctorum, gratias infinitas agimus tibi, qui tot praeclara lumina, et ardentes quasi faces in ecclesia collocasti, ut qui in domo tua vivunt, et aliena luce indigent, Sanctorum tuorum vocibus, monitis, virtutibus, exemplis et scriptis passim illuminentur.

Sublimasti eos, ut multis essent exemplo et patrocinio; quorum et precibus apud te cupimus adjuvari, ut cum tuis confessoribus fidem catholicam non solum corde et ore, sed etiam vita et opere perfecte confiteamur. Utque scientes et facientes Domini voluntatem, in domo tua tanquam accensa luminaria undiquaque splendere et nomen tuum semper glorificare possimus.

Laudemus Deum nostrum, qui inter caetera potentiae suae miracula etiam in sexu fragili multa et miranda patravit, cum

alias praecellentibus virtutum ac gratiarum donis ornaret, aliis autem generosum et plus quam virilem animum insereret, ut tyranni minas, mortem et tormenta contemnerent, et ad agonem non aliter quam ad delicias et epulas pergerent.

Vos, dilectissimae Christi sponsae, devotissime veneror, simulque supplex precor, ut et mihi majorem gratiam Deo placendi meamque vocationem complendi impetretis; et maxime quidem, ut in vera fide, caritate et patientia indies proficiam; mundi illecebras et carnis voluptates sanctae continentiae et abstinentiae studio vincam, nihilque Christi jugo suavius et amore carius sentiam, quoad vobiscum beata immortalitate potitus, Deum laudem in saecula.

Summe Pater, sancte Deus,
Sator mundi, factor meus,
  Potens et propitius;
Salva, precor, creaturam,
Pro qua carnis hanc naturam
  Tuus sumsit filius.

Jesu, nostram suscepisti
Carnem crucemque subisti
Coeli missus culmine.
Quidquid carnis per reatum
Cor contraxit inquinatum,
Tuo lava sanguine.

Sancte spiritus, benigne
Caritatis urens igne
Renes et praecordia;
Mentes, precor, nostras munda,
Et superni nos foecunda
Roris abundantia.

Deus trinus in personis,
Individuus in donis,
Unus in substantia,
Nostram, fac, infirmitatem
Per spem, fidem, caritatem
Tua firmet gratia.

Alma Dei Creatoris
Sed et rei peccatoris
Mater clementissima!
O sis reia advocata,
Hinc es mater, et hinc nata
Proles ex te maxima.

Ave cohors Electorum
Angelorum et Sanctorum
  Coetus omnis inclyte!
Vestra semper nos tutela
Christi ducat in sequela,
  Et salutis tramite.

Omnes Sancti triumphantes
Et in coelis jubilantes
  Perenni laetitia;
Nostra Deo praesentate
Vota, simul nos servate
  Stabiles in gratia.

Omnes Sancti, qui regnatis
Christo juncti, quem laudatis
  Cunctis procul hostibus!
Per Vos nostra mancipetur,
Ut vobiscum coronetur,
  Vita Dei laudibus.

O, quos nunc viator orat,
Quantum Deus vos honorat!
  Quanta beat gloria!
Honor Illi, lausque pura
Sit ab omni creatura,
  Qui dat unus omnia.

Supplicationes pro fidelibus defunctis.

O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo, tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti: per infinitum hunc amorem tuum supplex oro, miserere omnium fidelium defunctorum. . . . Deduc eos ad vitae fontes, et fac, ut mox tecum edant et bibant super mensam tuam in regno tuo. *Pater noster.*

O Jesu, protectio et salus nostra, qui tantos nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttae sanguinis decurrentis in terram: per pretiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro, miserere omnium fidelium defunctorum. . . . . Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. *Pater noster.*

O Jesu, redemtor et salvator noster, qui captus es propter peccata nostra; per durissima illa vincula tua supplex oro, miserere omnium fidelium defunctorum. . . . . Solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita

implicavit, ut laeti sacrificent tibi hostiam laudis. *Pater noster.*

O Jesu, cordis nostri laetitia, qui benedictam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, conspui et colaphis caedi permisisti: per incomprehensibilem hanc patientiam tuam te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum .... admitte illos ad claritatem lucis tuae, eosque adimple laetitia cum vultu tuo. *Pater noster.*

O Jesu, corona gloriae nostrae, qui flagellis caesus, et spinis dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es: per summam istam humilitatem te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum .... Concede propitius, ut coronam aeternae gloriae mox consequantur, tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus. *Pater noster.*

O Jesu, advocate et judex noster, qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab aeternae damnationis reatu absolvisti: per abyssum misericordiae tuae supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum .... Audiant mox ver-

bum illud consolationis: Dimissa est iniquitas vestra. *Pater noster.*

O Jesu, summum et unicum bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti: per immensum hoc beneficium tuum te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum. . . . . Aditus illis ad aeternam gloriam mox reseretur, laetique audiant: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Pater noster.*

Dies irae dies illa
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus?

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis!

Recordare Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die!

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus!

Juste judex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus!

Qui Mariam (Magdalenam) absolvisti
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus;
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem, Amen.

Absolve quaesumus Domine, animas famulorum et famularum tuarum, ut, defuncti saeculo, tibi vivant, et quae per fragilitatem carnis humana conversatione peccata commiserunt, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per D. N. J. Chr.

Fidelium Deus omnium conditor et redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, per Chr. etc.

Deus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum . . ... . refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per D. etc.

Preces Vespertinae.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, Deus meus, bonitas infinita! et narrabo mirabilia tua, quia magnificata est hodie misericordia tua super me, et liberasti animam meam a perditione. Et unde hoc mihi, ut recorderis mei, praeveniens me tot benedictionibus dulcedinis et caritatis tuae?

Tu ab aeterno dilexisti me, et in splendoribus Sanctorum vidisti tenebras meas. Tu me ex nihilo condidisti et e numero pereuntium misericorditer exemisti. Tu ex nativitate mea factus es protector meus, et segregasti me in servum tibi. Tu propter me omnia gubernas et regis, et quae ad me pertinent, efficacissima providentia disponis. Tu me hac die innumeris periculis eripuisti ac multis et mirabilibus beneficiis cumulasti.

Et quis sum ego, ut inveniam gratiam in oculis tuis? Tu potentissimus et im-

mensus; ego vapor et nihil. Tu sapientia et lumen; ego tenebrae et ignorantia. Tu fons bonitatis; ego vermis et non homo, et omnes justitiae meae sunt sicut vestis sordida. Et tamen non cessas diligere me, et egenam animam meam bonis tuis locupletare. Ideo benedicam tibi omni tempore, qui eripuisti animam meam de morte, et pedes meos a lapsu, cum tamen ego miserabilis peccator et servus ingratus contristaverim hodie spiritum tuum peccatis meis. Et nunc Domine poenitet me peccasse; miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. O si nunquam te offendissem! o si praecepta tua nunquam transgressus, amoris tui nunquam oblitus fuissem! Utinam, Deus meus, cras tibi perfectius serviam, et omnia creata spernens, te unum timeam et diligam! Tu solus potes animam meam satiare, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Quando venies ad me, et me totum possidebis? Veni Domine, fac me Unum tecum, et cor meum abstractum ab omni creatura tibi soli impollutum conserva. Nam quid proderit

universa vanitas, cum veneris sicut fur in nocte, vocans me ad judicium tuum? Revela igitur oculos meos, ut considerem novissima mea, et prospiciam saluti meae! En incertus vitae et salutis perveni ad finem hujus diei! In manus tuas commendo spiritum meum. Redime me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego!

Credo tibi, summa veritas! In te spero, salus mea! Te diligo et amplector toto corde; omnia enim quae fecisti, magna voce clamant, ut diligam te, cum sis unicum et omne bonum meum.

Aperi mentes omnium, quos creasti, eorum praesertim, pro quibus orare debeo, ut tibi, regi coelorum honor et gloria ab omnibus tribuatur. Radicitus extirpa omne peccatum et vitium, omnem discordiam et infidelitatem. Peccatoribus poenitentiam, justis perseverantiam, afflictis consolationem, inimicis nostris caritatem largire. Sit in omnibus patientia, benignitas, humilitas. Miserere omnium animarum fidelium in

purgatorio detentarum, et da illis requiem sempiternam.

Pie Jesu, ego commendo tibi animam meam et corpus meum, progressum finemque hujus miserae vitae meae. Praesta, ut recessus meus ex hoc exilio sit placitus coram te; et cum venerit ipsa hora mortis meae, concede, ut absque impedimento mox perveniam ad te. Fiat voluntas tua, Domine Deus meus! Commendo tibi hunc locum, hanc familiam nostram, praesentes atque absentes fratres nostros; commendo tibi omnia negotia spiritualia et temporalia, omnesque necessitates nostras. Da, ut sit hic sancta disciplina, humilitas, caritas et puritas ad gloriam nominis tui. Commendo tibi ecclesiam tuam Catholicam; da reformationem morum tibi placentem in omni hominum ordine. Commendo tibi vicarium tuum, summum pontificem nostrum, et famulum tuum regem nostrum, omnesque antistites et principes christianos. Commendo tibi patrem meum, matrem meam, fratres meos, sorores meas, propin-

quos, familiares et benefactores meos, omnesque fideles tam vivos quam defunctos, ac praecipue eos, qui meis orationibus specialiter commendati sunt. Converte quaeso et salva excaecatos miserosque peccatores; converte et revoca omnes haereticos, et, qui separati sunt ab ecclesia tua sancta, cum eadem matre credentium reuni. Adjuva omnes, qui in gravibus versantur tentationibus, aut pressi sunt doloribus, calamitatibusque afflicti. Miserere Domine, miserere omnium propter nomen sanctum tuum! Amen.

Vos Angeli sancti, vigilesque coeli, agite pro me, dum dormio, excubias amoris, et vestro semper vigilanti affectu summum bonum diligite! Tu Angele gloriose, qui mei curam suscepisti, assiste mihi hac nocte, hostemque comprime, ne noxiis animi phantasmatibus corporis puritatem laedat. Adeste, Sancti et Electi Dei, vos praesertim patroni mei, supplete vices fragilitatis meae, et custodite hujus noctis vigilias super me, Deumque pro me lau-

date, ac me ab omni malo defendite. Tu denique, beatissima Virgo, mater pulchrae dilectionis protege me hac nocte sub umbra alarum tuarum. Monstra apud filium tuum te esse matrem, matrem gratiae et misericordiae, mihique impetra cor castum et purum, ut in eo quiescat filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in saecula saeculorum, Amen.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne saeculum, Amen.

Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super

nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum; redemisti nos Domine Deus veritatis.

Custodi nos Domine ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege nos.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

Dignare Domine nocte ista, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri!

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.


Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Visita quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et bene-

dictio tua sit super nos semper, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, Amen.


Pater. Ave. Credo.



Devotae considerationes
pro exercitio Viae Crucis.

Praeparatio.

O immense, clementissime, o misericordissime Deus! ego misera et indignissima Creatura profundissima cum humilitate in terram prostrata, adoro te Deum ac Dominum meum. Credo in te, spero in te, amo te super omne bonum, et ideo doleo ex intimo corde, quod te unicum et summum bonum meum unquam offenderim. Ad tuam gloriam, meam salutem et ad lucrandas indulgentias, ab ecclesia huic devotioni promissas, hanc devotionem aggredior, et sub praesidio et ad exemplum dolorosae Matris tuae Virginis Mariae, comitante me Angelo meo tutelari, hanc viam crucis, tua sancta gratia adjuvante, peragere intendo.


STATIO I.

I. Statio.

Christus mortis condemnatur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O innocentissime Jesu! ego peccavi; ego mortis aeternae reus sum. Ut autem ego vivam, tu sententiam mortis lubens acceptas. Cui ergo in posterum vivam nisi tibi soli? Si hominibus placere cupiam, servus tuus esse non possum. Displiceam ergo ipsis, et toti mundo, ut tibi soli placere valeam.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO II

II. Statio.


Jesus suscipit crucem super humeros.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Num amicus Christi ero, si inimicus crucis sum! O dulcis, o bona crux! ego te amplector, exosculor, et gaudens te suspicio de manu Dei. Absit mihi amplius gloriari, nisi in cruce Domini mei, per quam mihi mundus crucifixus est et ego mundo; ut totus tuus sim, o Jesu! Tuae passionis me fac consortem!

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO III.

III. Statio.


Jesus prima vice cadit sub cruce.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Mi Jesu, tu grave jugum peccatorum meorum portasti, et iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super te; cur ergo jugum mandatorum tuorum ferre recusem, ut sic alter alterius onera portemus? Jugum tuum suave est et onus tuum leve; libenter itaque et cum gaudio illud suscipiam, et portare contendam, donec vixero. Tu, o Jesu, portantem me jugum tuum ita conforta, ut nunquam amplius cadam peccando graviter.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO IV.

IV. Statio.

Jesus, crucem bajulans, occurrit Matri suae dolorosae.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, o Maria! ego sum causa dolorum cordium vestrorum, summe invicem amantium, et ad extremum usque desolatorum. Utinam et cor meum de vestro dolore participet! Eja mater fons amoris, fac me sentire vim doloris tui, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut ipsi complaceam. Hoc demum a te humiliter efflagito, ut et mihi in amarissimae hujus passionis vestrae memoria, mortis semitam intranti, materna pietate occurrere, et cum filio tuo dulcissimo succurrere digneris.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO V.

V. Statio.

Jesus, bajulans crucem, a Simone Cyrenaeo adjuvatur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, quam vere dixisti, qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. En, ut dignus tui efficiar, ultro me comitem tibi in via crucis jungo. Feram lubens tribulationem et crucem, si non tuam gravissimam, saltem illam meam, quamcunque demum humeris meis imponere tibi placuerit. Hanc te sequendo patiens portabo usque ad finem vitae meae.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO VI.

VI. Statio.


Veronica Christo sudarium praesentat.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Totum me consecro servitio tuo; totum cor meum tibi offero; pone te ut signaculum super illud, eique imprime imaginem tuam, ut inextinguibili memoria memor sim tui, nec tu mei, qui sum opus tuum, obliviscaris in finem.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO VII.

VII. Statio.

Lapsus Jesu secundus sub cruce.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Jesu, miserere mei, porrige dexteram tuam, sustenta me, ne amplius in peccata priora relabar. Absit a me, ut sciens et volens peccatum, quod detestatus sum, repetam. Dixi, nunc coepi: ab hoc momento propositum meum firmissime stat: Millies mori malo, quam peccare. Tu, mi Jesu, conforta me gratiâ tuâ, sine qua nihil valeo.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO VIII.

VIII. Statio.

Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut die ac nocte defleam peccata mea? Per amaras, sanguineas lacrymas tuas oro te, concede mihi donum lacrymarum: contere cor meum, ut ex oculis et corde copiosae lacrymae profluant, et peccata mea vera contritione extinguant.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO IX.

IX. Statio.

Jesus ascendens montem Calvariae tertio cadit sub cruce.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O clementissime Jesu! infinitas tibi gratias ago, quod me toties peccantem nec in peccatis meis mori, nec, ut centies merebar, in profundum inferni praecipitari permiseris. Accende in me novum fervorem, fove hunc jugiter, meque in tua conserva gratia, ne unquam amplius ea excidam, aut cadam retro, sed in bono confirmatus, de corpore mortis hujus transeam ad libertatem filiorum Dei perfectam.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO X.

X. Statio.


Jesus vestibus nudatur, et felle potatur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Fiat, mi Jesu! fiat, ut exuam veterem hominem, et induam novum, secundum cor et voluntatem tuam creatum. Et licet sensualitati meae grave atque amarum sit, non tamen parcam carni meae. Omnibus, quas mundus offert, vanitatibus nudatus mori cupio, ut tecum vivam in aeternum.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO XI.

XI. Statio.


Jesus cruci affigitur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O patientissime Jesu, Agne mansuetissime! detestor et abominor omnem impatientiam meam. Eja, Domine, crucifige carnem meam cum concupiscentiis et vitiis ejus. Hic ure, hic seca, ut in aeternum mihi parcas. Totum me projicio in manus tuas; tua sancta voluntas in omnibus fiat. Solam gratiam tuam mihi dona, et sufficit mihi.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO XII.
INRI

XII. Statio.


Jesus in cruce elevatur et moritur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O amantissime Jesu, quis dabit mihi, ut amore tui moriar? Fac me saltem mundi vanitatibus amore tui penitus mori. O quam sordet mihi mundus, si te in cruce pendentem aspicio! Suscipe me, o Jesu, in transfixum cor tuum. Totus sum tuus, nec vivere volo nec mori nisi tibi.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO XIII.

XIII. Statio.

Jesus de cruce depositus traditur matri suae mortuus.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, deprecor te, ne permittas me de cruce tua avelli; in ea enim vivere cupio et mori. Crea in me, Deus, cor mundum, ut in S. Communione sacratissimum corpus tuum digne recipiam, et in te maneam, nec unquam a te valeam separari.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!


STATIO XIV.

XIV. Statio.

Christus sepelitur.

Adoramus te Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

O Jesu, tu me elegisti de hoc mundo, quid mihi ergo cum illo? Tu me creasti ad coelum, quid jam a te mihi volo super terram, in qua, proh dolor, multum incola fuit anima mea? Apage, o munde, cum vanitatibus tuis; in via crucis, quam salvator meus suis sacris signavit vestigiis, incedam impiger, et tendam ad patriam coelestem, ubi habitatio et requies mea sit in aeternum.

Pater. Ave.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

Oblatio.

Benignissime Jesu! demisissimas gratias tibi ago pro infinita misericordia tua, in hac via Crucis mihi exhibitâ. Offero tibi denuo hanc devotionem meam in honorem amarissimae passionis et mortis tuae, pro remissione peccatorum meorum et poenarum, exinde mihi imminentium, pro suffragio et solatio animarum in purgatorio. Denique supplex rogo, o Jesu! ne permittas gratis esse impensum ineffabile pretium sanguinis et mortis tuae, et meam, quam redemisti sanguine tuo, animam perire. Amen.

Itinerarium.

In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemtionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.

Sicut locutus est ad patres nostros, qui a saeculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto; sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Deus; et angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, qui es in coelis! sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris! et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo.

Salvos fac servos tuos; Deus meus sperantes in te.

Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto; et de Sion tuere eos.

Esto nobis, Domine, turris fortitudinis, a facie inimici.

Nihil proficiat inimicus in nobis, et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Benedictus Dominus Deus quotidie; prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi; et semitas tuas doce me.

Utinam dirigantur viae nostrae ad custodiendas vias tuas.

Erunt prava in directa, et aspera in vias planas.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti,

quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue nobis quaesumus iter prosperum tempusque tranquillum; ut, angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergimus, locum ac demum ad aeternae salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum, de Ur Chaldaeorum eductum per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti: quaesumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, quaesumus Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone: ut inter omnes viae et vitae hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Praesta quaesumus omnipotens Deus: ut familia tua per viam salutis incedat; et beati Joannis praecursoris hortamenta sectando, ad cum, quem praedixit, secura perveniat, Dominum nostrum, Jesum Christum filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Procedamus in pace. In nomine Domini, Amen.

